ANTONII STÖRCK,

SAC. CÆS. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARII AULICI, ARCHIATRI, NEC NON IN NOSOCOMIO CIVICO PAZMARIANO PHYSICI,

LIBELLUS,

QUO CONTINUANTUR

EXPERIMENTA,

ET OBSERVATIONES CIRCA NOVA SUA MEDICAMENTA.




VINDOBONÆ,


TYP. JOAN. THOMÆ DE TRATTNERN, CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOL.

1765.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



PRÆFATIO



Promiſeram in prioribus meis libellis, me omnem daturum operam, ut nova ex plantis venenatis remedia detegerem.

Sunt propterea quidam ex viris litteratis, qui jam nunc ſimile quid expectant.

Verum id præſtare hucuſque non potui; etenim frequentia & longa aulæ itinera me ab ægris meis multo tempore abeſſe juſſerunt, impediveruntque me in obſervando; ſimul etiam me diuturnus & violentus morbus detinuit, & vires adeo proſtravit, ut per plures menſes omne fere acrius ſtudium debuerim negligere.

Bi-

PRÆFATIO.

Binas quidem plantas venenatas ad tentamen medicum adhibui, eas in canibus probavi, & proprium meum corpus iis diversimode exercui ac divexavi, de earum tamen virtute & usu interno nil adhuc certi licet asserere.

Nihilominus nullam (quantum mihi erat possibile) occasionem prætermisi, qua poteram experimenta facere, & novas de meis, jam propositis, medicamentis observationes colligere.

Has

Has nunc in hocce opusculo recenseo, & viris doctis consueta sinceritate communico.

Nec mihi timeo; quamvis plures sint, qui in me & mea medicamenta sævere, & subinde sat rapiditur invehuntur; etenim hos pacata mente & sicco pede prætereo; viris tantum iis scribo, qui artem amant & ejus incrementum, atque recta corda habent, & ab invidia (quod turpe vitium maxime inter medicos utinam exularet) penitus sunt immunes.

Li-

Lites ego nemini moveo, nec roſtris nec unguibus mea medicamenta defendo, pacem amo; ſola ægrotantium ſalus mihi cordi eſt, uti & boneſti viri officium.

Nec lucrum ex meis inventis peto, nec ullam gloriam ambio; dum quid ſalutare inde ægris evenit, gaudeo, & mihi tacite gratulor.

Hoc totum eſt quod deſidero, precor, & exopto.

Ob-

fideliter descriptis, constat, tuto posse præberi ægrotantibus, & salubrem in sanandis morbis effectum præstare.

Hæc sunt: *Cicuta*, *Aconitum*, *Colchicum*, *Hyosciamus*, *Stramonium*.

Quoscunque authores rei medicæ pervolvimus, invenimus ubique has plantas in venenatorum classe esse collocatas.

Constantes autem observationes nunc edocent, has debito modo præparatas, datasque ægris non solum non nocere, sed morbos, aliis remediis omnibus repugnantes, sæpe curare; hinc merito esse adscribendas in medicamentorum Classes.

Quo plura inveniuntur medicamenta, eo ars fit perfectior, facilior, simplicior; nec medicus toties in morbis chronicis adeo curtam suam suppellectilem

lem cogetur fateri, nec tot peribunt ægri, nec fato ſuo toties relinquentur.

Multos enim morbos ideo dicimus incurabiles, quoniam ignoramus medicamenta, quæ ad eos debellandos valerent.

Omnipotens & adorandus mundi creator omnes hominum calamitates, morbosque prævidit; propterea tot millenas procreavit plantas, quæ mortalibus ſalubres eſſent.

Verum requiritur humana induſtria, requiritur ſedula obſervatio, & experimentum ſæpius ſumma cum cautela repetitum, ut detegatur, qua ratione hæ exhibeantur, quid agant, quove in morborum genere tuto conveniant.

Nec impoſſibile videtur, hoc evincere: tempore opus eſt, & unanimi ac

conſtanti bonorum medicorum labore atque ſtudio.

Plantas innocuas determinare ad ſuas claſſes, adeo arduum non eſt; has enim in proprio tentare corpore impune licet; licet & eas dare ægris, unde earum effectus, & vis brevi pateſcit.

Plus autem difficultatis, & periculi in plantis ſuſpectis, & venenatis perſcrutandis reperitur: Etenim has exhibere ægris nefas eſt, antequam certo conſtet, qua forma, & qua doſi ſine omni prorſus detrimento dari poſſint.

Qui temerarie in hominis perniciem ſua inſtituit experimenta, æque homicidii reus eſt, ac ille, qui gladio quem perſtringit.

Hinc: ut prima tentamina in animali vili inſtituantur, jubet ratio, & proximi amor.

Ego ſemper mediocris ſtaturæ canem ſelegi, & in principio parvam admodum doſim illi exhibui, eam augendo quotidie, quo uſque eam canis ſine noxa tulit.

Dum obſervavi magnas, & ſubitas in tali animali turbationes non fieri, imo illud a notabili ſatis quantitate nequaquam affici, tunc minimam, & fere inſenſibilem portionem ipſemet aſſumſi, doſimque inſenſibiliter auxi, donec aliquem in me effectum animadverterim.

His prægreſſis absque omni conſcientiæ remorſu licuit mihi tuto in ægris ſimilia remedia prudenti manu tentare.

Ex mutatione & effectu in me observato, poteram eminus concludere: in quonam morbo tale remedium foret bonum.

Incipiebam semper a parva dosi, eam augendo, donec debitus sequeretur effectus; quamprimum vidi cujusdam hominis idiosyncrasiam tale remedium non ferre, tunc illico abstinui; hac ratione nemini nocui.

Magna dein in omnia symptomata, & omnes mutationes adtentione, sedula & multiplici ac fida effectuum observatione, usus talis medicamenti se sponte extendit, & detegitur sensim, id in pluribus morbis tuto, & saluberrimo cum effectu posse exhiberi.

CA-

CAPUT II.

Dolendum eſt ſummopere, a multis adhuc pharmacopœis, & medicis varias promiſcue herbas cicutæ vulgaris loco ad facienda experimenta applicari.

Exſpectant inde effectum, quem ego cicutæ vulgari adtribuo, & merito falluntur.

Miſerunt mihi ex variis regionibus diverſas cicutæ ſpecies, quarum quælibet eodem modo, ac ego præſcripſi, parata, longo tempore data eſt ægris veræ cicutæ loco; lamentabantur omnes, ſe paucas, aut plane nullas in morbis, ad quos curandos ego hanc plantam commendavi, mutationes obſervaſſe.

Nec mirabar: recto etenim instituto examine vidi, nullam fuisse veram cicutam.

Res ita contigit in *Anglia*, *Hollandia*, *Gallia*, *Italia*, *Borussia*, *Silesia*, *Bohemia*, & in ipsa *Austria* &c.

Inde factum est, ut multum meritæ laudis detraheretur cicutæ.

Hinc ortæ sunt lites, & in utramque partem pugnabatur. Quidam omnem prorsus efficaciam cicutæ denegarunt, quidam hæserunt dubii, alii diverso climati hæc adscribebant, alii experimentis convicti, cicutam utilissimum esse remedium, contendebant.

Fuit hoc primum, & maximum vitium, quod progressum rei cicutariæ magnopere impedivit.

Fit

Fit ſæpiſſime, ut in eodem loco, ubi vera cicuta creſcit, inveniantur aliæ herbæ, quæ huic primo aſpectu videntur ſimillimæ & eædem.

Unde colliguntur ſine diſcrimine, paratur inde ſuccus, & extractum; & ex his, dum ægris præbentur, ſequitur effectus paucus, tardus, quandoque nullus.

Has herbas ita inter ſe creſcentes toties hac æſtate in Hungaria obſervavi, dum valles & locorum vicinias perquiſivi.

Ipſe ego primo intuitu aliquoties hæſitavi.

Dum autem quis dubitat, veramne haberet cicutam: is eam in calidiori ponat loco, dum incipit flacceſcere aut ſiccari, & vera eſt cicuta, tunc ingra-

tum murium domeſticorum fœtorem ſpargit.

Vel quod adhuc facilius: conterantur digitis herbæ folia, & intra pauca minuta ſenties digitos eodem fœtore affectos.

Fœtor talis, qualem mures domeſtici ſpargunt, character eſt eſſentialis veræ cicutæ, hunc facile quisque poterit detegere, is enim ſi deficit, vera planta non habetur, licet reliqui characteres Botanici minus peritis exacte convenire videantur.

Quo hic fœtor eſt fortior, eo major ineſt plantæ virtus.

Faciliorem methodum veram inveniendi cicutam, vix quiſpiam demonſtrabit.

Dum de virtute, & efficacia hujus plantæ agitur, & fiunt experimenta, certus quilibet eſſe debet, ſe veram, & rite paratam exhibere cicutam.

Et

Et tunc: ſi recto modo, fida mente, atque debitis cautelis ſua experimenta inſtituerit, firmæ erunt ejus obſervationes, & inde fluent utiles, ac ſalubres concluſiones.

Quæritur nunc, qua forma dari debeat cicuta?

Quamvis propoſuerim in principio ſolum extractum, inde rite paratum, vidi tamen novis experimentis totam plantam abſque ulla fere præparatione dari tuto poſſe.

Qui extractum ſumere renuunt, iis quandoque infuſum, vel & decoctum prodeſt.

Ex herba recenti paratur conſerva, qua integra plantæ vis conſervatur.

℞. Herbæ recentis & ſucculentæ cicutæ lib. ß

ſacch. alb. in pulverem triti. lib. j.

mi-

miſceantur & contundantur probe in mortario marmoreo, ut fiat conſerva.

Conficitur quoque ſyrupus.

℞. ſucci cicutæ recenter expreſſi lib. j. ß
ſacch. alb. lib. ij.
m. & coquantur vaſe figulino lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam.

Folia in pulverem contrita exhibui quoque optimo cum effectu, & ſine omni noxa.

Deſtillatur inde aqua fragrantiſſima, quæ in curandis peſſimis ulceribus, quandoque plus efficit, quam decoctum, vel infuſum, vel & alia quæcunque medicamenta; hoc celeberrimus noſter chirurgiæ profeſſor *Leber* primus tentavit, & pluribus confirmavit experimentis.

Paratur & oleum, quo partes affectæ illiniuntur & perfricantur.

℞.

℞. Herbæ recentis cicutæ conquaſſatæ,
ol. olivar. aa lib. j.

m. & lento igne coquantur invicem ad humididatis conſumtionem, dein exprimatur oleum.

CAPUT III.

CASUS PRIMUS.

Nobilis matrona ſcirrhum, ovo gallinaceo paulo majorem, longo tempore in mamma habuit; indolens is erat in principio; dein vero in eo tanti dolores pungentes advertebantur, ut ægra merito inde cancrum metueret.

Cauſa hujus mali nota non erat. Ægra præterea cachectica fuit, flaccida,

&

& carebat appetitu; & mentis hilaritas erat penitus proſtrata.

Juſſi pilulas ex ſolo cicutæ extracto paratas aſſumeret.

Harum uſu mox rediit appetitus, mens fiebat hilarior, & intra paucos menſes tumor totus diſparuit.

Matrona hæc jam ultra annum optima fruitur ſanitate, & ridet atque contemnit eos, qui harum pilularum uſum adeo deleterium ipſi deſcripſerunt.

CASUS SECUNDUS.

Fœmina ruſtica cancro fœdiſſimo afficiebatur, qui ex radice naſi uſque ad alam naſi ſiniſtram, & infra oculi ejuſdem lateris totam palpebram ſeſe extendit, oſſa naſi arroſit, & formavit labia

in-

inæqualia, callosa, tumidis venis variegata, & dolentia admodum.

Malum adeo turpe erat visu, & adeo horrendum spargebat fœtorem, ut hanc miseram jam vicini fugerent, & nemo cum ea amplius mensæ assidere vellet.

Incassum adhibita sunt multa remedia.

Deserta ab omnibus me accessit.

Præscripsi ei cicutæ pilulas, & jussi, ut mane ac vesperi partem affectam saturato cicutæ decocto bene ablueret, & foveret aliquo tempore, dein applicaret cicutæ emplastrum.

His spatio trium mensium integre convaluit, licet aëris injurias, & hyemale frigus ob summam pauperiem evitare non potuerit; & tempore curationis duro labore sibi panem lucrari erat coacta.

CASUS TERTIUS.

Infans, binorum & dimidii annorum, ante octo menſes morbo varioloſo ægre decubuit.

Hoc tandem ſuperato cœperunt pedum articuli tumere, rubere, vehementer dolere, ita ut omnis motus fuiſſet impoſſibilis.

Poſtea ipſa oſſa afficiebantur, prodibant exoſtoſes, & oriebantur fœdiſſima ulcera, qualia ſæpiſſime in ſpina ventoſa obſervare licet.

Purgantibus remediis, & aliis, ut ajunt, ſanguinem purificantibus, medici hoc malum tollere conabantur; verum infans emaciabatur, acceſſit cachexia, & ulcera nequaquam ſunt emendata, nec minutus eſt tumor.

Tan-

Tandem mater multo fletu meum exoravit consilium.

Per diem fovi fomentis, ex cicuta paratis, partes affectas, noctu apposui cicutæ emplastrum, & pro interno remedio dedi mixturam.

℞. Extract. cicut. dr. ß
syrup. mannat. unc. ij.
aq. flor. samb. unc. vj.
M.

S. sumat omni trihorio cochleare unum.

Dum hanc dosim infans optime ferebat, addidi dein mixturæ integram extracti cicutæ drachmam, & jussi, ut omni bihorio daretur cochleare unum.

Intra sex menses solis his remediis disparuit tumor, subsederunt exostoses, separata sunt ossium cariosa fragmenta,

 ul-

ulcera coaluerunt, rediit naturalis faciei color, vires factæ ſunt bonæ; jam moventur omnes articuli, & ſanus eſt infans.

CASUS QUARTUS.

Fœmina lotrix per plures menſes geſſit mammam admodum duram; hæc dein cœpit rubere, inflatæ ſunt venæ, & orta ſunt quinque ulcera profunda, quæ labia habebant dura, inæqualia, dolentia, ichor præterea fœtidus copioſe effluxit.

Emplaſtris variis, & variis medicamentis uſa eſt hæc ægra, dolores autem inde ſunt exacerbati, & ulcera in pejus ibant.

Meo conſilio aſſumpſit cicutæ pilulas, deligavit ulcera cicutæ fomento, & deſuper applicuit cicutæ emplaſtrum.

Ma-

Malum hac ratione ſenſim emendatum eſt, abiit omnis durities, ulcera cicatrice ſunt obducta, & octavo menſe mamma fuit in ſtatu naturali.

Aliquoties datum eſt huic ægræ purgans tempore curationis.

CASUS QUINTUS.

Homo, triginta aliquot annorum, fœdiſſima in ore & faucibus ulcera habuit, hæc ſerpebant in latum, ac profundum, velum pendulum inde erat pluribus in locis perforatum.

Decocta varia, varia gargariſmata, & ipſa remedia mercurialia ſunt adhibita absque eo, ut levamen ſentiret æger.

His viſis ſuaſi, biberet ter quotidie vaſculum ſaturati infuſi cicutæ, & eodem infuſo, addita pauca mellis roſarum

quantitate, fauces & os collueret omni trihorio.

Mox liberius deglutivit, vox, quæ antea erat refracta, & difficilis, clarior & distincta evasit, sensim ulcera mundata coierunt, & quatuor septimanarum spatio æger convaluit.

Semel tantum assumpsit purgans ex unciis quinque aquæ laxativæ dispensatorii viennensis.

CASUS SEXTUS.

Ancilla, 27. annorum, aphthis pessimis per totum os, & in ipsa lingua & faucibus laboravit.

Interna, & externa remedia, alias in similibus casibus summe efficacia, licet larga dosi, & multo tempore darentur, nil mutabant.

Unde

Unde jussi, ut ulcuscula omnia ter quotidie oblinirentur melle rosarum, in cujus uncia solvebatur extracti cicutæ drachma una & dimidia.

Ardor inde magnus excitabatur, sed brevi aufferebatur ex ulcusculis omne lardaceum, loca facta sunt pura, & intra paucos dies perfecta aderat ubique cicatrix.

Pro remedio interno bis purgans antiphlogisticum assumsit ægra.

CASUS SEPTIMUS.

Ancilla, 23 annorum, a binis annis habuit in utroque colli latere, sub axillis, & in mamma utraque tumores duros admodum, & diversæ magnitudinis.

Hos in principio neglexit, dein autem cum mole augerentur, & dolorem excitarent, varia quæſivit auxilia.

Verum inde non tantum tumores non ſunt diſſipati, ſed quidam ex iis rupti ſunt, & fœdum fundebant ichorem, & tuberoſa, ſublivida, retorridaque labia efformabant, & ægra citra ſummum dolorem vix movere brachium poterat.

Incidit poſtea in peſſimam cachexiam, retinebantur menſes, languebat appetitus, immorigera erat alvus, tumebant pedes, cor ſæpius palpitabat, facies erat lurida, & flaccida.

Hoc in caſu præſcripſi pilulas ſequentes.

℞. Extract. cicut. dr. vij.
maſſ. pil. ruff. dr. i.
m. f. pil. gr. iv.

S. ſumat ter de die pilulas tres, & ſuperbibat qualibet vice vaſculum infuſi herbæ ruthæ.

Hac ſola methodo alvus lente ſolvebatur, rediit mox appetitus, & binarum ſeptimanarum ſpatio faciei color fiebat naturalis, minuebatur pedum tumor, auctæ ſunt vires, tumores ſcirrhoſi in principio facti ſunt mobiles, dein mole minores, ulcera dabant pus bonum, & eorum labia detumuerunt, & evanuit dolor.

Et antequam quartus finiretur menſis, comparuit debito modo fluxus menſtruus, functiones erant omnes bonæ, vix ullum aderat tumoris veſtigium, &

ſic brevi tempore finita fuit curatio, & reſtituta eſt integra ſanitas.

CASUS OCTAVUS.

Vir, annorum 43, a longo tempore languit, vexabatur dolore dilaceranti in omnibus corporis articulis; facies præterea flaccida erat, & terrei coloris, colli ſiniſtrum latus occupavit tumor durus inſtar ovi anſerini, & capitis pars capillata obſidebatur plurimis tuberculis duris, quæ exulcerata flavum, & acre ac erodens ſerum plorabant.

Decocta varia longo tempore aſſumta, data varia purgantia, mixta mercurio, adhibita remedia antiſcorbutica nil proderant ægro, nec externa remedia adferebant levamen.

Cum

Cum meæ curæ ſe committeret, ſuaſi ſolum cicutæ extractum, & decoctum ex radice bardanæ paratum; dedique omni decimo quarto die purgans e granis viginti maſſæ pilularum ruffi.

Hac methodo abierunt tumores, clauſa ſunt uſcuſcula, membra liberabantur ab omni dolore, reſtauratæ ſunt vires, & intra binos & dimidium menſes aderat optata ſanitas.

CASUS NONUS.

Homo, 32 annorum, a pluribus annis ſenſit viſum ſuum debilitari, demum nec objecta, nec colores amplius diſtinguere potuit, pupilla utraque erat multum dilatata, cæteroquin in oculis nullum vitium detegebatur.

Remedia ſolventia, alvum ducentia, pediluvia, veſicantia &c. mali progreſſum impedire non potuerunt.

Suaſi igitur, cicutæ extractum ſumeret.

Per tres ſeptimanas nullum ſenſit effectum; poſtea vero lancinantes in oculis dolores percepit, & frequentes ſcintillæ verſabantur ante oculos, dein potuit objecta per vices magis dignoſcere, paulo poſt autem viſus erat, ut ante turbatus, & debilis valde.

In quinta ſeptimana jam omnia erant meliora; nec adeo frequentes advertebantur in oculis lancinationes, & pupillæ videbantur longe mobiliores, & erant magis contractæ.

Spatio quinque menſium ſolo hujus remedii uſu continuato viſus integre

re-

rediit, & pupillæ erant in ſtatu naturali.

CASUS DECIMUS.

Alii ægro eodem prorſus morbo laboranti, cujus autem oculorum bulbi erant difformes, protuberantes, & acuminati, idem cicutæ extractum longo tempore fuit exhibitum, ſed nulla fiebat in melius, nec in pejus mutatio.

CASUS UNDECIMUS.

Juvenis, 12. annorum, in oculo ſiniſtro habebat pupillam admodum dilatatam, intra quam hærebat corpus ex flavo cæruleum, ſubpellucidum, rotundum, & viſus eo in oculo erat penitus exſtinctus.

Ten-

Tentavi quid cicuta hoc in caſu præſtaret.

Per tres fere ſeptimanas nulla fiebat mutatio; poſtea vero æger ſenſit media hora poſt aſſumtum remedium magnam in oculo pulſationem, & vehementem dolorem, contrahebatur illud corpus heterogeneum ita, ut per pupillam protuberaret.

Duravit hoc per plura minuta, dein erant iterum omnia pacata, ſed manebat malum immutatum.

Idem motus in oculo convulſivus rediit quotidie eodem modo per binos menſes, & cum malum non emendaretur, abſtinui ab hoc remedio.

Juvenis antea cachecticus, & macilentus, fiebat robuſtus, & recuperavit optimum

mum colorem, ratione viſus autem lucrabatur nihil.

CASUS DUODECIMUS.

Puer, 10 annorum, in manu & pede ſiniſtro ſpina ventoſa laboravit.

In pede jam aderat fœdum ulcus, in manu autem tumor ſublividus, & admodum dolens erat adhuc clauſus.

Applicui externe emplaſtrum de cicuta, interne exhibui cicutæ extractum.

Longo tempore mutabatur nihil.

Tandem tumor in manu minuebatur, & ulcus pedis pus bonum fundebat, & minima oſſis fragmenta ſeparata ſunt.

Continuavi eodem remedio, augendo doſim, ut ſenſim per diem grana

qua-

quadraginta aſſumſerit de cicutæ extracto.

Hoc modo intra quindecim menſes diſparuit in manu tumor, & ulcus pedis clauſum eſt firmiter, & omnia redierunt in ſtatum naturalem.

Aliquoties purgatus eſt æger, cæteroquin nullum medicamentum ei exhibitum fuit; videtur conſtans & pertinax remedii uſus rebelle hoc malum ſuperaſſe.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Infans, 3 annorum, rachiticus in omnibus extremorum articulis, vix pedibus poterat inſiſtere, languebat multum, & erat valde moroſus.

Cum in hoc tentata eſſent incaſſum omnia uſitata contra rachitidem remedia,

dia, ſuaſi daretur ei de cicutæ extracto mane & veſperi granum unum.

Spatio paucorum dierum habebat majorem appetitum, & videbatur hilarior.

Auxi remedii doſim & dedi mane grana duo, & totidem veſperi, poſt tres ſeptimanas ambulabat liberius, & jam pedibus inſiſtebat ſatis firmiter, imo tumores articulorum videbantur minores.

Dedi dein quatuor extracti grana matutino tempore, & quatuor veſperi; hac doſi ſpatio dimidii anni malum ſublatum eſt integre, & puer jam ultra ſesqui annum bene valet, hilaris eſt & agilis, & bona gaudet memoria, quæ antea fuit valde debilis.

CA-

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Vir, 30 aliquot annorum, continua tuſſi & lenta febre totus fere emaciatus, me venit conſulturus.

Sputa fœtida, tenacia, ex flavo fuſca rejecit, collum totum ſcirrhoſis glandulis plenum habebat.

Remedia jam fere innumera omnis generis ei data ſunt; malum tamen fiebat longe pejus, & noctes inquietæ; ſudor viſcoſus, fœtidus, vires conſumſit.

Dubitavi, num non & in pulmone ſimiles ſcirrhoſæ concretiones hærerent, quæ morbi hujus peſſimi cauſa eſſent.

Exhibui propterea ter quotidie grana novem de cicutæ extracto, & juſſi, ut deſuper biberet vaſculum infuſi her-

bæ

bæ veronicæ, noctu dabam grana ſex maſſæ pilularum de ſtyrace.

Secundo ſtatim die ſputa procedebant liberius, & cœpit æger ſentire ad cibos appetitum.

Menſis ſpatio jam vires habuit multo meliores, noctes erant ſine paregorico tranquillæ, ceſſavit ſudor nocturnus, & glandulæ colli fundebantur.

Vix elapſus eſt tertius menſis, quo hoc remedio utebatur, & jam bonam habebat ſanitatem, vires integras, & labores ſuos (erat enim ſutor) ſine ulla moleſtia & defatigatione potuit peragere.

CASUS DECIMUS QUINTUS.

Fœmina, 28 annorum, ulcere peſſimo & carie ad tibiam pedis dextri laboravit.

Chirurgi & medici in hoc curando allaborarunt diu; verum incaſſum erant omnia.

Dum ad me venit, ulcus fuit admodum profundum, habens labia livida, inæqualia, ad minimum adtactum fundentia ſanguinem, & os præterea carioſum, ſcabrum, nigrum; dedi purgans ex granis XL jalap. & granis XX ſalis polychreſti.

Dein ſuaſi cicutæ extractum, ulcus linteis carptis infuſo cicutæ probe imbutis replevi, texique totum cicutæ emplaſtro.

Intra quatuordecim dies jam omnia erant in melius mutata, labia erant minora, pus, prius fœtidum, jam videbatur magis coctum, & minuebatur oſſis nigredo, & ægra recuperavit vires.

Poſt

Poſt tres ſeptimanas iterum idem purgans dedi, dein iiſdem remediis juſſi continuari.

In quinta ſeptimana magnum ex tibia fragmentum oſſeum incipiebat ſecedere, & ulcus fiebat purum.

In ſexta ſeptimana ſeparabatur fruſtum oſſeum, binos pollices longum & dimidium latum.

Dedi dein iterum purgans, & cum omnia optime ſuccederent, in remediorum uſu nil mutavi.

Seceſſerunt dein adhuc parva fragmenta, & tertio menſe ulcus fuit integre curatum, & fœmina ſe optime habuit.

CASUS DECIMUS SEXTUS.

Vir, ſexagenario major, dolore rheumatico per totum corpus vehementer

ter afficiebatur, & cum a multis assumtis remediis nihil juvaretur, dedi cicutæ extractum.

Sumsit mane & vesperi grana ix.

Hac ratione spatio duodecim dierum a morbo liberabatur, quo jam per plures menses laboravit.

CASUS DECIMUS SEPTIMUS.

Foemina, 31. ann., tumorem in hypochondrio sinistro rotundum, durum, & mobilem a longo tempore gessit.

Quotiescunque menstruus fluxus imminebat, dolores ibi enormes sensit.

Balnea applicuit, & varia solventia ac discutientia remedia; dolores autem inde potius aucti, quam imminuti sunt.

Suasi cicutæ extractum, & externe apposui cicutæ emplastrum.

Post

Poſt quatuordecim dies erumpebant menſes citra omnem dolorem, & tumor videbatur minor, mollior.

Spatio binorum menſium tumor diſparuit, & menſes procedebant libere.

Gravida dein hæc fœmina fiebat, de nullo incommodo conquerebatur, & ſana fuit.

CASUS DECIMUS OCTAVUS.

Vir ſupra coſtis ſpuriis in latere dextro tumorem ſcirrhoſum, binos pugnos magnitudine ſuperantem, habuit.

Cauſam & originem ignoravit; nullum ſenſit dolorem, ſed profunde abſque impedimento reſpirare non potuit.

In variis noſocomiis fuit, & applicata ſunt interne & externe fortiſſima remedia ſolventia, tam mineralia, quam vege-

vegetabilia, vix autem ullam advertit mutationem, nisi quod cutis inflammaretur, & doleret multum.

Jussi per diem apponeret cicutæ fomentum, per noctem autem emplastrum, & dedi pro interno remedio ter quotidie scrupulum unum extracti cicutæ.

Spatio binorum mensium malum penitus sublatum est, & sanitas erat bona.

CASUS DECIMUS NONUS.

Homo, 23. annorum, bubonibus in utroque inguine, & gonorrhœa admodum inveterata laboravit.

Mercurialia, aliaque remedia nullam in hoc ægro videbantur habere efficaciam, quoniam ea assumsit larga dosi, & longo usu absque ullo levamine.

Præscripsi propterea pilulas sequentes.

℞. Ex-

℞. Extract. cicutæ dr. iij. ß
mass. pil. extract. cathol. dr. ß
m. f. pil. gr. iij.

S. sumat æger ter quotidie tres pilulas, & superbibat qualibet vice vascula bina decocti radicis bardanæ.

Externe ad bubones applicatum est emplastrum de cicuta.

His intra octo septimanas disparuerunt bubones, sanata est gonorrhœa, & homo bene valet.

CASUS VIGESIMUS.

Vir, 35. annorum, post febrem intermittentem, nimis cito suppressam, sensit ventrem inflari, tendi & dolere hypochondria; angebatur pectus, facies fiebat flava, & corpus totum intumuit.

Tangendo percipiebantur ubique in ventre duri tumores, urina fluebat pauca, appetitus erat penitus deletus, & vires plurimum proſtratæ, noctes inſomnes, tuſſis ſicca, frequens.

Tentata ſunt ſolventiſſima remedia, data ſunt diuretica, & alvum ducentia; verum omnia optato ſucceſſu carebant.

Æger præterea ructus acidos conquerebatur.

Præſcripſi pilulas ſequentes.

℞. Extract. cicutæ.
ſaponis venet. ana dr. ij.
maſſ. pil. ruff. dr. j.
m. f. pil. gr. iij.
S. ſumat æger ter quotidie quatuor.

Primis diebus inde angebatur, ſed urina ilico cœpit liberius copioſiusque prodire.

Poſt

Poſt decem circiter dies advertit æger minus tendi hypochondria, & minus dolere, ventrem eſſe molliorem; noctes erant magis quietæ, reſpiratio facilior, appetitus major, & vix ulla a paſtu moleſtia.

Unde eodem remedio continuatum fuit, ſpatio trium ſeptimanarum totum corpus detumuit, ventris moles facta eſt minor, nec tumores amplius adeo erant duri, urina copioſe fluxit, & alvus quotidie bis aut ter ſolvebatur ſine virium imminutione.

In curandi methodo nil mutatum fuit, & contigit, ut fere præter omnem ſpem hicce æger intra decem ſeptimanas vires & integram ſanitatem recuperaverit.

CASUS VIGESIMUS PRIMUS.

Vetula ſeptuagenaria verrucam magnam habuit in carpo manus dextræ, hæc ſubito elevabatur in tumorem nucis avellanæ magnitudine, qui in principio lividus erat, dein niger, tandem totum manus dorſum livebat, & ulcus fiebat fœdiſſimum; fœtor erat adeo enormis, ut adſtantes eam omnes abhorrerent, eratque in ulcere tantus dolor, ut ægra nec dormire, nec comedere potuerit.

Fundus tumoris erat tenuis & mobilis; ideo filo ligabatur, & hac ratione ſeparatus eſt. Sed ulcus manſit fœdum, tendines erant nudi, ſanies deſtillabat peſſima, brachium totum doluit, vires languebant plurimum.

Applicata a chirurgis externa remedia

dia antiſeptica, dataque ſimilia interne a medicis profuerunt nihil.

Dum miſera a me peteret conſilium; ſuaſi bis quotidie manum per horam in calido cicutæ infuſo teneret, & aſſumeret pilulas de cicutæ extracto, biberetque deſuper infuſum florum ſambuci.

Balneum e cicuta paratum mira præſtitit; nam intra binos dies ulcus jam meliorem habebat colorem, fœtor diſparuit, tenue apparebat pus, dolor in brachio, & moleſtus in ulcere ardor deſierunt penitus.

Rediit dein appetitus, noctes fiebant tranquillæ, increverunt vires, & ſpatio quatuordecim dierum ulcus totum erat ſanatum, vetula bene habuit, & jam ultra octo menſes ſana vivit.

CA-

CASUS VIGESIMUS SECUNDUS.

Vir, 43 ann., ingentes in lumbis dolores patitur a pluribus annis, urina prodit ſumma cum difficultate, habens ſemper ſedimentum craſſum, ſubfuſcum, mucoſum, tenax, fœtidum, indurati ſunt præterea ambo teſticuli, & erant mediocri pugno majores, color faciei cachecticus, appetitus deletus, hypochondria tenſa, venter inflatus, durus, nec ſine remedio ſolvebatur alvus.

Multorum medicorum auxilium fruſtra imploravit, & magnam medicamentorum quantitatem deglutivit absque ullo effectu.

Neque

Neque quid levaminis adtulerunt balnea mineralia, neque aquæ minerales largiter potatæ.

Dedi pilulas ſequentes:

℞. Extract. cicut. dr. iij.
extract. rad. helen.
maſſ. pil. ruff. ana dr. i.
m. f. pil. gr. iij.

S. ſumat ter de die tres pilulas, & bibat qualibet vice deſuper infuſum florum ſambuci.

Ab his mox levamen ſenſit, prodiit liberius urina, rediit appetitus, venter minus tendebatur, emolliebantur teſticuli, dolor lumborum minuebatur.

Continuando hæc remedia per integros binos menſes æger penitus convaluit, urina facta eſt naturalis, diſparuit cachexia, teſtes debitam habebant

mol-

mollitiem, figuram & magnitudinem, appetitus erat bonus, detumuit venter, nec ullo dolore, aut tenſione vexabantur hypochondria, & vir ad munus ſuum, quod jam per longum tempus negligere debuit, iterum erat aptus.

CASUS VIGESIMUS TERTIUS.

Fœmina, triginta aliquot annorum, jam ultra binos annos fluore albo laboravit, materies erat acris, fœtida, lenta, quandoque fuſca penitus; ſenſit ſimul ægra in uteri orificio frequentes dolores lancinantes, & ardorem continuum, totum corpus erat debile, flaccidum.

Cum citra ullum levamen optima aſſumſiſſet remedia; præſcripſi cicutæ extractum.

Hoc

Hoc aſſumſit per ſex ſeptimanas, & abierunt omnes dolores, prodiens materies non amplius fœtuit, nec acris erat, & fiebat albi coloris, tenuis admodum, & pauca.

Cum autem corpus totum debile videretur, & hic fluxus adhuc a vaſorum flacciditate penderet, dedi ſequentes pilulas.

℞. Extract. cicut.
corticis peruv. aa dr. ij.
m. f. pil. gr. iij.

S. ſumat quater per diem tres pilulas, & bibat deſuper vaſculum infuſi ruthæ.

His ſine interruptione per tres ſeptimanas adhibitis corpus totum factum eſt vegetum, deſiit uteri fluxus albus, & comparuerunt menſtrua pulchri coloris, & debita copia.

Juſſi

Juſſi adhuc per menſem mane ſumeret quatuor pilulas, & quatuor veſperi, hac ratione convaluit.

CASUS VIGESIMUS QUARTUS.

Vir, 40 annorum, ſtudiis deditus, dolore vehementiſſimo rheumatico afficiebatur in brachio dextro; adhibitis ſuffimigiis, & unguentis ſpirituoſis dolor diſſipabatur, ſed æger dein ſenſit in toto brachio ſtuporem, articuli ſenſim fiebant rigidi; hinc brachii & digitorum motus omnis fere impoſſibilis; tandem manus & totum brachium extenuatum fuit.

Æger balneis fortiſſimis uſus eſt, & magna remediorum copia, his tamen nequaquam malum emendatum fuit, nec æger ſuo officio poterat fungi, quum pluri-

plurimum debebat ſcribere; unde ad miſeriam redactus inter reliquos pauperes meum petiit conſilium.

Re bene examinata cogitavi materiem rheumaticam unguentis ſpirituoſis, & ſuffimigiis eſſe introrſum pulſam, & induratam, & tali modo motum impedire, & debitam nutritionem; hinc cicutam poſſe plurimum prodeſſe.

Cum autem ſimul laborabat ſpaſmis hypochondriacis, & ructibus, & appetitu deleto & alvo immorigera, & forti melancholia, combinavi ſequentes pilulas.

℞. Extract. cicut. dr. iij.
gum. ammon. dr. j.
Caſtor.
maſſæ pil. extract. cathol. aa. dr. ß
Camphor. gr. xx.
m. f. pil. gr. iv.

D S. ſu-

S. ſumat ter quotidie tres pilulas, & bibat deſuper bina vaſcula ex decocto radicis althææ, bardanæ, & liquirit.

His dum per octo dies utebatur, jam ſenſit majorem in brachio calorem, & digitos movebat paulo liberius, & alvus ſolvebatur quotidie.

Continuavit igitur iisdem magno cum gaudio ultra binos menſes, de die in diem advertit malum emendari, tandem rediit omnis in brachio motus, integrum robur, calor naturalis, evanuit melancholia, & tandem homo integre ſanus infinitas mihi gratias egit.

CASUS VIGESIMUS QUINTUS.

Fœmina, 30. annorum, ab octo ſeptimanis omnia rejecit vomitu, quæ potus, aut cibi titulo aſſumſit.

Ce-

Celebres medici tentarunt omnia incassum.

Ego advocatus vesperi, ut miserrimæ huic ægræ adhuc quidquam consulerem, dedi sequentem mixturam.

℞. Extract. cicut. dr. ß
syrup. papav. alb. unc. j.
aq. meliss. unc. iv.
laud. liquid. gtt. x.
M.

S. sumat omni hora cochleare unum.

Vix bina cochlearia ex hac mixtura assumsit, & jam melius se habere ajebat, & sistebatur vomitus.

Altero die tantum omni bihorio sumsit cochleare unum, hac dosi continuabatur per plures dies.

Et jam sex sunt septimanæ, quibus ægra nec potum, nec cibos vomitu rejecit.

 Pare-

Paregoricis curatio adſcribi non poteſt, cum hæc jam antehac magna doſi, & multo tempore fuerint eidem ægræ exhibita.

Soli igitur cicutæ debetur.

CASUS VIGESIMUS SEXTUS.

Fœmina, 30. aliquot annorum, jam in ſextum annum habebat in mamma dextra tumorem ovo gallinaceo majorem, durum admodum, ſed mobilem, dum inſtabant menſes, dolore magno ſemper vexabatur.

Per quatuor annos nihil adhibuit, tandem ſuaſu cujuſdam vetulæ adplicuit emplaſtrum nigrum.

Mamma inde brevi indurata eſt, dolores facti ſunt fere continui, unde ægra nec dormire potuit, nec comedere, & fuit emaciata.

A variis varia applicata ſunt, ſed malum augebatur fere quotidie.

Dum me acceſſit, mamma erat æque magna ac caput infantis, tota dura, ubique accreta, purpurea, hinc inde livida, venæ omnes varicoſæ; dolores continuo urentes, rodentes, & lancinantes, reddebant noctes inquietas, & inſomnes, atque totas vires deſtruebant.

Vidi caſum arduum, nec multam curationis ſpem in animo fovi.

Pilulas aſſumere non potuit ægra, ſuaſi propterea, ter quotidie uncias quatuor ſaturati infuſi cicutæ ſumeret.

Dolores inde intra paucos dies mitigabantur, & rediit appetitus, cæteroquin autem ſpatio quinque ſeptimanarum in mamma prorſus nihil mutatum fuit.

Dedi tunc purgans ex unc. iv. aquæ laxat. disp. vien.; dein præter cicutæ infusum exhibui mixturam sequentem.

℞. Extract. cicut. dr. ij.
syrup. 5 rad. aperient. unc. j. β
aq. flor. samb. unc. vj.
liq. anod. min. gtt. xx.
M.

S. sumat omni bihorio cochleare unum.

Usu hujus mixturæ spatio octidui omnes fere dolores siluerunt, ægra appetiit, dormivit tranquille, & vires increverunt.

Intra tres septimanas color purpureus evanuit, & lividus transibat in læte rubrum, detumuerunt venæ, mamma hinc inde mollior facta est, & exstillavit per papillam pus tenue pauco sanguine mistum.

Ap-

Appoſui dein externe emplaſtrum cicutæ, juſſique, ut omni bihorio ſumeret duo cochlearia ex mixtura, & diligenter infuſum cicutæ biberet deſuper.

His ſenſim magna mammæ pars emolliebatur, manifeſta aderat fluctuatio, dein cutis in acumen elevata rumpebatur, & effluxit copioſum ſubcruentum pus, hac ratione plus quam tertia duræ molis pars ſeceſſit.

Intra biduum ſponte claudebatur cutis apertura, & reliquum, quod ſupererat, erat adhuc valde durum, nullus tamen dolor obſervabatur, unde vires poterant ſomno, & cibis refici.

Eorumdem remediorum uſus fuit ſedulo continuatus, & ſenſim iterum magna pars ſuppuratione conſumpta fuit.

Sic ſpatio quinque menſium omne durum ſuppurando aufferebatur, mamma eſt naturalis, & fœmina ſana.

CASUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

Fœmina, 28. annorum, ultra annum habuit mammam dextram totam ſcirrhoſam, & dolentem admodum, omnes ei cancrum præſagiebant.

Applicatis emplaſtris dolores augebantur & durities.

Dum me acceſſit, exhibui ſtatim cicutæ extractum magna doſi, externe applicui emplaſtrum de cicuta.

Intra octiduum mamma jam erat undique mollior, dein diſſiliit in innumera parva, rotunda, tubercula, dolor omnis deſiit; fœmina antehac cachectica, & debilis, recuperavit ſuas vires, appe-

titum

titum, ſomnum, & naturalem faciei colorem.

Nondum ſunt bini menſes, quibus ægra utitur cicutæ extracto, & nec ſexta amplius ſcirrhi pars ſupereſt, & hoc quod remanet, mobile eſt.

CASUS VIGESIMUS OCTAVUS.

Puer, 12 annorum, a quatuor annis glandulas omnes ſubmaxillares partis dextræ uſque poſt aures habuit duras, ſcirrhoſas, & in enormem molem elatas.

Utebatur hic cicuta per integros novem menſes, nec notabilem in tumoribus effectum ſenſit, niſi quod quædam loca fierent paulo molliora & mobiliora, vires autem, quæ antea erant proſtratæ, inſurgebant ex cicutæ uſu, & ſanata eſt

totius corporis cachexia; & ideo mater coegit puerum, ut extractum diligenter continuaret, ſperans, quod ſenſim tumores funderentur.

Verum nulla in his fiebat mutatio, licet ultra drachmam quotidie de hoc extracto aſſumſerit.

Tentavi tunc, quid fieret, dum hi tumores remedio externo pauliſper irritarentur, & ideo admiſcui unciæ uni emplaſtri de cicuta drachmam unam emplaſtri veſicatorii; partes tumidæ inde rubebant, dolebant aliquantulum, elevabantur parvæ, & prurientes puſtulæ, per quas acre liquidum tranſudavit.

Continuatum præterea fuit uſu cicutæ extracti; unde factum erat, ut nunc ſpatio trium menſium, ingens tumorum moles eo fuerit redacta, ut jam

vix

vix dimidium gallinæ ovum adæquaret.

Emplaſtrum autem mixtum cum veſicatorio tantum per octiduum apponebatur, id enim puer diutius ferre non voluit, cum nimium ardorem excitaret.

CASUS VIGESIMUS NONUS.

Virgo, 23 annorum, ſtrumam in glandula thyroidea a binis annis ſat magnam geſſit; hæc increvit ſenſim, & partes interiores compreſſit, produxitque capitis dolores, & ſibiloſam reſpirationem.

Poſtquam multa medicamenta incaſſum applicuiſſet, meum petiit conſilium.

Suaſi extractum cicutæ, dedi ilico quadraginta grana per diem, & hac doſi ſpatio paucarum ſeptimanarum deſiit

fiit capitis dolor, refpiratio libera facta eft, & evanuit ftruma.

In aliquibus fimilibus cafibus fruftra dedi cicutam, licet eam ægri larga dofi, & longo tempore devoraverint.

CASUS TRIGESIMUS.

Fœmina ulcus fœdiffimum latum & cancrofum habet in manu dextra. Chirurgi & medici innumera fere remedia applicuerunt fine omni effectu bono, morbus enim femper magis exacerbatus fuit.

Huic dedi ftatim grana XL extracti cicutæ per diem, externe partem affectam faturato cicutæ decocto juffi continuo foveri, & noctu tegi emplaftro de cicuta.

Sic

Sic intra breve tempus magna corruptæ carnis frusta exciderunt, ulcus purum factum est, apparuit pus bonum & sensim inducta fuit cicatrix.

Modo tantum margines adhuc callosi supersunt, qui autem quoque minuuntur.

CASUS TRIGESIMUS PRIMUS.

Bini pueri, ex eadem matre nati, jam fere a nativitate turpissima tinea capitis, & fœdissima, squammosa, fœtente scabie per totum corpus laborant.

Multi medici, postquam fortia, & efficacia alias remedia tentassent sine mali emendatione, hos miseros fato reliquerunt, & dimiserunt, quasi curari non possent.

Dum

Dum mater eos mihi adduxiſſet, dedi ſtatim cicutæ extractum, & ſuaſi, ut totum corpus, & caput quotidie bis lavaretur ſaturato cicutæ decocto.

Hæc adhibentur in quintam ſeptimanam, & malum jam multum minuitur, loca plurima pura ſunt, & nitida, abeſt fœtor, & pueri longe meliori ſanitate fruuntur, & ſunt alacres, & adeſt ſpes optima perfectæ curationis.

CAPUT IV.

COROLLARIA.

Tuto datur cicuta uſu interno.

Multi adhuc ſunt, qui venenum hujus herbæ timent, & ejus uſum religioſe evitant.

Inter

Inter plebejos homines, inter mulierculas, imo & inter nobiliores dari tales minime miror; medicos autem adeo inanes, & præjudiciis adeo temulentos inveniri poſſe, nunquam credidiſſem; verum id in epiſtolis ad me datis lego, id ex aliis audio, id dum vocor ad conſilia, experior.

Peſſimum præterea hi medici morem habent, quod non tantum ſuis ægris, quibus prodeſſe poſſet, hoc remedium non exhibeant, ſed quod etiam conentur aliorum ægrorum, qui bona fide agunt, animos ita turbare, ut vel magno metu id aſſumant, vel uſum penitus reſpuant.

Dolui hac æſtate medicum, qui ſibi ipſi ex ignaro metu uſum vel tantum exter-

num

num denegavit, dum multum inde effectum ſperare licuiſſet.

Is ani fiſtula jam a longo tempore laborat, & eſt ea adeo profunda, & in multos diviſa ſinus, ut periti chirurgi habitis conſiliis operationem inſtituere auſi non ſint.

Et ideo varia tentata ſunt remedia, quæ autem nullo modo malum emendarunt.

Chirurgus, in re cicutaria multum verſatus, tandem injectiones ex herba cicutæ paratas ſuaſit, meum quoque conſilium petebatur, & ſuaſi idem.

Re hac audita fremuit æger, & reſpondit: ſe velle potius malum ſuum adhuc ferre; imo ſe velle perire potius, quam tale quid vel uſu externo tentare in ſuo corpore: etenim ajebat ſe multos per-

pervolviſſe authores medicos, qui omnes hanc plantam deſcripſerunt venenatam, imo ſe id a ſuis Profeſſoribus in publicis collegiis confirmatum audiviſſe.

Nulla juvabat ratio, nullum valebat experimentum.

Bonus hicce homo multos ſibi ſimiles collegas habet; quidam ex mero præjudicio adeo meticuloſi ſunt, alii vero ex ignara arrogantia, omnia quæ nova videntur, contemnunt, putantes: ſe omnes artis fontes ita exhauſiſſe, ut nil amplius ſupereſſet.

Si tenelli infantes cicutam innocue aſſumunt, an quis ſanæ mentis credet, eam nocere poſſe adultis?

Cuilibet quotidie exhibere poſſum infantes vegetos, robuſtos, & ſaniſſi-

mos, quorum matres in utero gerentes magnam cicutæ quantitatem devorarunt.

Nec mater inde quid mali paſſa eſt, nec infantes inde affecti videntur, cum optima ſanitate gaudeant.

Si venenum ineſſet, certo ſimili in caſu ſe præprimis manifeſtaret.

Sunt infantes, quibus ob diverſa mala in primo, ſecundo, tertio, quartove ſuæ ætatis anno longo tempore exhibui cicutam & valent optime.

Si jam his quorum vitæ ſtamina adhuc tenera ſunt, cicuta non nocet, cur noceret robuſtis & adultis?

Si cicuta tuto dari non poſſet, deberet neceſſario vis ejus venenata, vel ilico ægro noxam adferre, vel deberet id fieri dum uſus protrahitur, vel deberent peracta jam curatione ſiniſtræ obſer-

ſervari ſequelæ; verum ex his nullum, tot jam factis experimentis, obſervatum fuit; qui enim ante multos annos hoc remedio curati ſunt, adhuc ſani perſiſtunt & optime valent.

Profecto! qui humana ratione prædites eſt, is ad comprobandam cicutæ innocentiam fortiora, & plura argumenta deſiderare non poterit.

Et qui jam verbis, & experimentis fidem negat, is veri medici nomen non meretur.

Vim ſolvendi ineſſe cicutæ, ex omnibus experimentis clare patet.

Ubicunque igitur obſtructum reſerandum, ibi cicuta indicatur, & in veris obſtructionibus certo certius debitum præſtat effectum, & tumores ab obſtructione natos fundit, diſſipat.

Subinde ſcirrhi uſu cicutæ inſenſibiliter liqueſcunt inſtar glaciei, ſubinde diſſiliunt in plura ſubrotunda tubercula vel in fibroſas oblongas moleculas, quæ minuuntur ſenſim, & diſparent penitus.

Si inveteratus talis tumor eſt, tunc quandoque, dum agere incipit cicuta, dolor in eo advertitur; nec malum hoc eſt ſignum, partes enim compreſſæ, inſenſiles antea, & quaſi emortuæ, vigorem tunc ſuum & vitam recuperant.

Nec durities, etiamſi fere lapidea ſit, medicum terrere debet, vidi enim duriſſimos tales tumores, & inſtar cartilaginis, vel oſſis reſonantes, quandoque cito, & facile uſu cicutæ fuiſſe conſumtos.

Dum autem ſimiles tumores ſunt compoſiti, & partim ex obſtructione, partim ex calloſa concretione nati, tunc curatio

eſt

eſt longe difficilior, & haud raro impoſſibilis, licet durities adeo fortis non ſit.

Ope cicutæ ſolvitur quidem materies in vaſis ſtagnans, ſicque pars molleſcit, & mole minuitur, ſub finem autem remanet flaccida, fibroſa, & quaſi carnea ſubſtantia, quæ vix remedio cedit, & facilem renaſcendi tumoris occaſionem præbet.

Poſt contuſiones perſæpe tales fiunt tumores.

In his tumoribus cicuta id boni præſtat, quod minuat molem, & reddat partem affectam magis mobilem, ut, ſi neceſſitas exigat, operatio chirurgica tutius ac facilius poſſit inſtitui.

Quandoque autem levem inflammationem excitat, quæ abiit in ſuppurationem, & hoc modo totum tumorem conſumit.

Eſt quoque ſuppuratio ſalutaris cicutæ effectus, dum ægri vires huic ferendæ ſufficientes habent.

Tumores fungoſos, ſarcomatoſos, verrucoſos cicuta raro ſolvit, eos tamen quandoque uſu interno, ac externo ſuppurando deſtruit.

Hinc ejus uſus ſemper acribus & cauſticis eſt præferendus.

Mirabar multum, dum mihi doctus cæteroquin medicus in epiſtola conquererebatur, quod cicuta diu & magna doſi exhibita nullum ſenſibilem effectum præſtitiſſet, in magno glandulæ thyroideæ tumore, qui ſubito oriebatur, dum æger grave pondus elevaret, idque extenſis brachiis ſuſtineret diu.

Natum hunc ab extenſione tumorem, qua ratione ſolveret cicuta?

Qui

Qui remedii hujus virtutem novit, & mali originem, ac causam, & eas secundum artis regulas inter se confert, is certo jam a priori debet intelligere, simili in casu frustra fieri experimentum.

Alius hoc remedium diu adhibuit in magno arteriæ subclaviæ aneurysmate, & cum inde speratum eventum non vidisset, cicutam inane esse remedium judicavit.

Alius herniam inguinalem pro bubone habuit, ad quem solvendum cicutæ extractum ægrotanti præbebat; & cum post longum usum nullam videret mutationem, in consilium vocavit chirurgum, qui clare demonstravit, herniam adesse incarceratam, & ideo frustra tentari tale remedium.

An non in his caſibus præter omnem rationem adhibetur cicuta? quibus dein placet cicutæ virtutibus detrahere; ii tot ægros numerant, quibus incaſſum dederunt cicutam.

Imperiti homines ſi tale quid faciant, parcendum eſt; ſi vero id a medico fiat, videtur eſſe indignum.

Tumores ſacco incluſos quandoque in principio cicuta perfecte auffert; etiam majores ſubinde emollit, & fundit, cum autem remanet ſaccus non ſolubilis, facilis datur recidivæ locus, niſi ſacci latera collabantur, & ſibi invicem applanata concreſcant.

Similes magnos tumores, cuti & partibus vicinis adhærentes firmiter, ſolvit plerumque cicuta a cohæſione, eos red-

dit mobiles, & aptos ad chirurgi sectionem.

Dantur ægri, quorum fere omnes corporis partes, & omnia fere viſcera tumoribus occupantur, & cum horum numerus nimis magnus ſit, ſolamen quidem a cicuta habere poſſunt, eos tamen integre curare fere eſt impoſſibile, & opus eſt longo tempore, & multa patientia.

Conſideratis effectibus, quos cicuta in tumores edit, facile patet,

Quid ſentiendum ſit de cicutæ effectu in curandis cancris, cum haud raro cancer a prægreſſo tumore oriatur.

Plurimis experimentis conſtat: cicutam in virus cancroſum agere, ſaniem deſtruere, & ichoris loco bonum pus producere.

Cicuta igitur acre cancroſum corrigit, cicuta tumores ſolvit!

Ad cancri curationem nil aliud requiritur, quam, ut tumor, ex quo oritur cancer, fundatur, & acre cancroſum deſtruatur; hæc duo præſtat cicuta, conſolidatio ſolius dein naturæ opus eſt.

Dum autem cancri radicem deſtruere cicuta non poteſt, licet corrigat acre cancroſum, curatio erit impoſſibilis.

Manet enim loci vitium, quod tantam ſemper novæ ſaniei copiam regenerat, ut dein vis cicutæ non amplius ei ſubigendæ par ſit.

Continua in tali loco irritatio ſæpe nimium humorum affluxum procreat, ingens copia ſeri perpetuo exſtillat, indoles liquidorum depravatur, ſenſim

nu-

nutritio deficit, & tales ægri tabe pereunt.

In cancro occulto, ſi ope cicutæ dolor ſedatur, ſi venæ varicoſæ ſubſident, & pars affecta naturalem induit colorem, ſpes optima curationis tunc adeſt, præſertim ſi ſimul tumoris moles ſenſim liqueſcat.

Si cutis cancroſo tumori non adhæret, vel ſi adhærens uſu cicutæ brevi ſeparatur, pro bono ſigno habetur.

Pejoris autem ominis eſt, ſi cutis craſſa ſit, & tumori pertinaciter concreta.

Si color cutis lividus, aut purpureus ubique in naturalem mutetur, bonum eſt.

Si in uno aut in pluribus locis maneat livor cutis, aut tenſio purpurea,

tunc

tunc ibi plerumque oritur titillatio, vel dolor urens, aut ſubinde lancinans, dein elevantur puſtulæ prurientes, ſecedit epidermis, & pars excoriatur, & ſerum acre prodit; ſi dein bonum ſequitur pus, ſpes eſt: tumorem poſſe ſuppuratione conſumi; præſertim ſi ægri vires ſuas conſervant.

Si autem ægri, dum pus ſe format, amittunt appetitum, ſi debilitantur febre veſpertina, & ſenſim emaciantur, tunc bonum promittere eventum haud licet.

Etenim quamvis cicuta optime agat, & bona ſuppuratione totum cancrum deſtruat, vires tunc ad vulnus conſolidandum deficiunt, & ſanguis a pure reſorpto inquinatus lethalem tabem adfert.

His in ægris non eſt danda magna cicutæ doſis, ne febris ſuppuratoria fiat

ni-

nimium vehemens, imo ejus ufus quandoque eft interrumpendus, donec febris fileat, & convenienti diœta, & debitis remediis vires fuerint refocillatæ.

Lenta tali, & prudenti, ac rationali methodo fæpe confervantur ægri, & fubinde curantur, qui violentiori modo (nimium properando) periiffent.

Si in ulcere, puris loco, lardacea, fubflava, crufta oriatur, & ferum acre continuo depluat, malum eft; præfertim fi fuperveniat tuffis.

Si ulceris color læte rubet, & durities fenfim mollefcit, & minuitur; fi nulla, aut exigua adfit febris, fi fit pus bonum, & nullus advertatur fœtor, fi circa labiorum margines albicans cuticula cicatricis indicia monftret, fperare & fere promittere licet certam curationem.

Si

Si ulceris labia callofa, & craffa fint, vel fungofa, & externis remediis non minuantur, aut fi cultro ablata cito iterum recrefcant, malum eft.

Nam licet totum fcirrhofum, cancrofumque fit confumptum, labia illa fanationi refiftunt, impediunt confolidationem, & malum reddunt curatu impoffibile.

Si autem hæc labia fimul liquefcant, aut cultro refciffa non regenerentur, tunc malum integre cedit.

Quandoque cancer occultus, aut apertus ufu cicutæ in gangrænam convertitur.

Hæc mutatio fere femper falubris eft, & celerem fanationem promittit; & fi id ægri vires, & morbi fymptomata admittant, tunc cicutæ ufus non de-

debet ilico interrumpi, dum gangræna obſervatur, is enim eſt protrahendus, donec vel integra moles, vel maxima ejus pars ſit gangrænoſa.

Inducta tunc grangræna ſeponitur cicuta, & interne, externeque adhibetur cortex peruvianus, ut ſanguis contra gangrænoſam labem præmuniatur, & pars gangrænoſa cito ſeparetur, & ægrotantis vires reſtaurentur.

Quo facto dein curatio ſolo cicutæ uſu interno, ac externo plerumque abſolvitur.

Cancer quandoque facile tollitur uſu cicutæ, ſi ea debito tempore applicetur.

Si autem malum negligatur diu, & partes internæ jam arroſæ ſint, & humores omnes peſſima cancroſa indole affecti, tunc levamen quidem adfert,

&

& malum emendat, non tamen id penitus ſanat.

Cancri acrimonia videtur in diverſis ſubjectis diverſam habere indolem, cum hanc quandoque idem remedium cito, & facile deſtruat, quandoque autem parum aut nihil mutet.

Gravitas rei meretur ſane, ut Profeſſores clinici omni poſſibili attentione hanc rem inquirerent, & fidis obſervationibus determinarent ſigna diagnoſtica, quibus cognoſceretur diverſitas, & vera acrimoniæ indoles ac ſpecies.

Spina ventoſa haud raro curatur ope cicutæ.

Si materies formans ſpinam ventoſam in oſſe ſolum hæret, idque ſine erroſione in tumorem elevat, curatio quandoque facile ſuccedit, & ſolo interno cicutæ uſu,

& applicato externe fomento, aut balneo ex eadem herba, tumor ſubſidet, & diſſipatur.

Si autem carnea & fungoſa circum naſcitur moles, tunc tardior fit cura, quandoque pars exulceratur, & excreſcentia debet ſuppuratione conſumi; quandoque illud fungoſum remediis reſiſtit penitus, & debet cultro reſcindi, aut cauſticis deleri.

Si os ipſum carie affectum eſt, curatio perfici non poteſt, niſi fragmentis paretur exitus; & ſi tumor emollitus ſponte non aperiatur, tunc arte pertundendus eſt.

Hos ægros dein jubeo, ut partem affectam quotidie bis per horam foveant in ſaturato cicutæ balneo, interne extractum cicutæ exhibeo.

Hac methodo ſola ſæpius vidi carioſum ſeparari, tumidum diſparere, & firmam induci cicatricem.

Si tamen fragmenta nimis pertinaciter parti ſanæ adhæreant, tunc inſtrumento perforante eſt ſeparatio adjuvanda.

Fungoſum ex ulcere propululans, ſi fomentis aut digeſtivis remediis non minuitur, & domatur, acriora ſunt applicanda.

Huic ſcopo ſæpius ſatisfaciunt ſequentia remedia externe applicata.

℞. Extract. cicut. dr. j.
mellis roſar. unc. j.
ſpirit. ſal. acidi gtt. xxx.
M.

vel ℞. Extract. cicut. dr. j.
ung. ægyptiac. unc. ß
mell. roſar. unc. j. ß
M.

vel

vel ℞. Extract. cicutæ dr. j.ß
aquæ phagadænicæ lib. j.
M.

Si hæc ægris dolorem excitant, tunc quædam opii grana admiſcentur.

In his autem adhibendis prudentia, & artis peritia opus eſt; nocent enim dum quædam adeſt inflammatio, aut ſi malum hæreat in loco, ubi adſunt partes corporis admodum ſenſibiles, & pronæ ad irritationem, vel ſi & ipſi ægri habent ſyſtema nervorum nimium mobile.

Ulcera inveterata & peſſimæ indolis, & rebellia ad quodvis etiam efficaciſſimum medicamentum, cicutæ uſu quandoque brevi ſanantur.

Si hæc ulcera ipſa oſſa affecerunt, debet prius arte illud in oſſe deſtructum aufferri, antequam cicatrix formetur; hoc

enim, ſi non fiat, brevi iterum in loco, qui ſanatus videbatur, oritur dolor, reditque ulcus priori multo malignius.

Labiorum, gingivarum, buccarum, fauciumque ſerpentes, ac rodentes exulcerationes, quandoque nullo alio remedio curari poſſunt, niſi cicutæ uſu.

Os colluitur ſaturato cicutæ decocto, cui paucum mel roſarum additur.

Vel partes exulceratæ melle roſarum, & cicutæ extracto aliquoties per diem illiniuntur, quod adhuc eſt efficacius.

Vidi profunda ulcera ſic ſanata; imo partes in velo pendulo exeſæ recreſcebant, & vox depravata reddebatur naturalis.

Angina venerea, ad reliqua remedia quandoque pertinax, gargariſmati, ex

ſa-

ſaturato cicutæ decocto, melle roſarum, & pauco nitro parato, quandoque cedit facile, & cito.

Vidi maxillarum caries profundas ſæpius perfecte curatas, dum tale remedium aliquoties per diem in ore ad partem affectam tenebatur; imo imponebantur, ſi erat poſſibile, in locum affectum lintea carpta, imbuta hoc remedio.

Sinus & fiſtulæ in ore profunde penetrantes, & fundentes fœtidiſſimum ſerum, aut ſaniem, facta injectione ex tali remedio ſanantur ſæpe.

Si tamen nimium calloſa erant latera, plerumque cultro debebant perſcindi.

Dum quandoque huic remedio tinctura myrrhæ aut aloës jungebatur, fiebat oſſium ſeparatio partiumque conſolidatio celerior.

Si dentes in vicinia fimilium fiftularum cariofi funt, artis eft plerumque, ut ii evellantur.

Ani fiftulæ fatis profundæ, & jam inveteratæ fæpius fola injectione ex faturato cicutæ infufo, cui paucum mel rofarum additur, fanantur.

Callofum, quod adeft, plerumque melle chelidonii, & cicutæ extracto confumitur. Subinde, ut hæc citius agant, levis fit harum callofarum partium fcarificatio.

Fomento ex cicuta parato, vel melle rofarum, & cicutæ extracto perfæpe tolluntur fœdiffimæ pudendarum muliebrium exulcerationes.

Scabies inveterata, lepræ fpecies admodum fœda, tinea pertinaciffima lotu ex

cicu-

cicuta parato, & hujus remedii uſu interno haud raro percurantur.

Hos autem ægros curationis tempore juvat multum, ſi omni decimo quarto die purgentur.

Dum lotione ſqammæ, & cruſtæ ablatæ ſunt, rubet quandoque cutis, fit tenſa, & admodum ſenſibilis, & ſuperficialis videtur adeſſe inflammatio.

Abſtinendum tunc eſt a cicutæ uſu, & conveniunt emollientia, & leniter nitroſa decocta, indicantur & tunc ſimilia balnea; his additum lac prodeſt multum.

Tali modo debita reſtituitur cutis mollities, rubor diſparet, redeunt vires, & ſanitas.

Si hinc inde novæ apparent puſtulæ, aut cruſtæ, ſignum eſt, ſanguinem nondum penitus a ſcabioſa labe eſſe immu-

nem, & ideo præter talia decocta necesse est adhuc per multum tempus exhibere cicutam, ut recidiva præcaveatur.

Dolores rheumatici, arthritici, podagrici quandoque solo interno cicutæ usu sopiuntur, & fugantur penitus.

Balneum autem simul adhibitum, aut fomentum, accelerat curationem.

Cataplasmata ex lacte, & cicutæ herba parata subinde momento citius dolores podagricos aufferunt, solvunt podagricos tophos, dissipant materiem cretaceam.

Juvat quoque cicuta, ubi materies podagrica, arthritica, aut rheumatica retrogressa in variis corporis partibus varia symptomata, & morbos producit. Sic natum dolorem lateris chronicum, tussimque chronicam feliciter curavi. Hoc reme-

medio, ortam ab eadem caufa, ifchuriam fublatam vidi.

Membrorum, & articulorum rigiditas, producta a materie rheumatica, vel arthritica, tollitur feliciter fomentis ex cicuta, & ufu ejus interno.

Solo cicutæ extracto fæpius curavi diuturnos dolores rheumaticos, vel arthriticos, qui oriebantur poft febres acutas exanthematicas, præfertim miliares, dum ægri adhuc debiles fe nimis cito aëri frigido & humido expofuerunt.

Cutis excoriationes, pruritus, efflorefcentiæ cutis fuperficiales folo cicutæ balneo, vel fomento, aut lotione tolluntur fæpe; fic quoque intolerabiles circa pudenda prurigines fanantur.

Fluor albus malignus, & inveterata gonorrhœa huic eidem remedio quando-

que facile cedunt, dum alia decantata remedia diu jam incassum adhibita sunt.

Hoc etiam remedio sæpius mucosarum hæmorrhoidum tumores dissipantur, & fluxus absque noxa sistitur; quod eo facilius fit, dum pars affecta fovetur cataplasmate ex lacte & cicuta parato.

Dum uteri vasa obstructa menstruum fluxum impediunt, & dolores inde oriuntur, cicuta juvat, & auget quoque fluxum, dum nimis parcus est. Systema uterinum liberum reddit, & aptum ad conceptionem.

Dum autem similes dolores a meris spasmis ortum habent, vix prodest cicuta.

Cicuta movet urinam, hinc quandoque ischuriam tollit, & levamen adfert in affectu calculoso, urinæ secretionem

pro-

promovet, dum eam vaſa renalia obſtructa impediunt.

Sic omnes totius corporis functiones ſecretionesque reddit liberas, & integras.

Epilepſiam quandoque ſanat cicuta.

Lætor, quotiescunque video virum doctum & diligentiſſimum, quem hoc remedio a peſſima epilepſia integre liberavi, qua jam a teneris annis affligebatur, & a nullo alio medicamento levamen percepit.

Plures jam ſunt anni, quibus ab hoc malo immunis vivit, & valet.

CA-

CAPUT V.

De Aconito.

Aconitum flore cæruleo me ad experimenta adhibuiſſe, ex prioribus conſtat.

Nihilominus tamen novi, longe alias ſpecies hujus loco datas fuiſſe ægris.

Pharmacopœorum eſt talia medicamenta præparare; hinc & illi omni poſſibili cura deberent herbarum ſpecies ſeligere, & eam a reliquis ſeparare, quæ vera eſt.

Nec hoc ſolummodo fœminis, aut famulis, qui herbas colligunt, committendum eſt, ipſe magiſter inquirat ſolicite,

cite, an vera herba ſit, quæ exigitur? & an huic non aliæ, haud multum abſimiles, intermiſceantur? dein quoque, an præparatio debito modo fiat, ipſe videat.

Non ſufficit, ut nomen herbæ tantum ſciat, ſed neceſſe eſt, ut ex authoris ſcriptis veram herbæ ſpeciem cognoſcat; nomen enim apud varios Botanicos, varium eſt.

Aconitum in montanis locis creſcit, aut colitur in hortis.

Antequam flores prodeant, aptiſſimum eſt præparando extracto.

Magnum inde, & innocuum habetur medicamentum; quod ſequenti forma plerumque præſcribitur.

℞. Extracti aconiti gr. iv.
ſacchar. alb. unc. ß

m.

m. exacte, ut fiat diu terendo in mortario vitreo pulvis tenuissimus.

CASUS PRIMUS.

Nobilis matrona, jam ultra anni spatium tophos in fronte, parte capillata capitis, in pedum tibiis, & ad digitorum articulationes habuit; pruriens præterea scabies totum corpus defœdavit.

Plurimam temporis partem in lecto transigere debuit, dolores somnum turbarunt, diminuerunt vires, & aberat appetitus.

Hæc matrona in castris fuit, & diversa ibi applicabantur remedia, mercurius ad salivationem usque ei datus fuit.

Verum

Verum malum nequaquam minutum eſt, imo vires fiebant minores, dolor dilacerans omnia membra invaſit ita, ut miſera ſæpe pedibus inſiſtere non potuerit.

Hoc in ſtatu Viennam advecta meum conſilium imploravit.

Dedi in principio purgans ex unciis quatuor aquæ laxativæ diſpenſatorii Viennenſis, dein bis de die exhibui ſcrupulum unum ex pulvere de aconiti extracto, & ſaccharo.

Poſt octiduum dedi ex hoc pulvere ter quotidie drachmam dimidiam.

Dolores poſt paucos dies minuebantur, tophi fiebant molliores, & minores, increvit appetitus, & ſomnus nocturnus erat longe tranquillior.

Cum

Cum ſic omnia mutarentur in melius, doſim medicamenti non augebam.

Scabies tamen manſit in eodem ſtatu, hinc partes affectas bis quotidie decocto cicutæ cum lacte parato curavi lavari, & foveri.

Hac ratione ſpatio trium menſium cura feliciſſime perficiebatur.

Tophi diſparuerunt penitus, evanuit ſcabies, nulli aderant amplius dolores, corpus totum erat pingue, & vires ita bonæ, ut hæc matrona per integras noctes iterum choreis publicis intereſſe potuerit, (erant enim tunc bachanalia).

Tempore curationis bis adhuc dedi purgans ex unciis quatuor aq. lax. diſp. Vien.

In diæta juſſi, evitaret pinguia, nimium acida, & acria; omnia autem, quæ

quæ erant mollia, probe nutrientia, & facile digerenda, concessi, nec interdixi vinum, nec caffeæ usum moderatum.

CASUS SECUNDUS.

Vir, 42 annorum, jam a pluribus annis circa tempus vernale, & autumnale corripiebatur violentissimis doloribus articulorum omnium; præsertim autem dolor ad phalanges digitorum pedum, & manuum figebatur, tanta quidem vehementia, ut vix extra lectum æger per binas, ternasve septimanas esse potuerit.

Balnea & diversa alia remedia juverunt nihil.

Jussi sumpto purgante ex rhei scrup. ij. & salis polychresti dr. ß omni tem-

pore autumnali, & vernali, tribus ſeptimanis antequam dolores ſolerent eum prehendere, ſumeret mane, & veſperi quotidie per quatuor ſeptimanas drachmam dimidiam ex pulvere de aconiti extracto, & ſaccharo.

Fecit hoc diligenter, & jam bini anni ſunt, quibus ab omni dolore liber eſt.

Tempore conſueto leves tantum, & momentaneas punctiones in partibus alias læſis advertit, & extremitates ſolito magis tranſpirant.

Vires autem manent bonæ, & omnes corporis functiones integræ.

CA-

CASUS TERTIUS.

Fœmina, 43 annorum, vagos dolores rheumaticos jam a pluribus annis paſſa eſt, hi ſe ſenſim figebant in omnibus corporis articulationibus, ita quidem, ut fere omnia membra fierent rigida, & cogeretur ægra continuo lecto inhærere.

Remedia quæcunque tentata juvabant nihil, imo plurima eorum magnos dolores excitarunt.

Suaſi pulverem de aconiti extracto, & ſaccharo.

Mox ſenſit levamen, cœpit per totum corpus tranſpirare, redibat articulorum motus, & nondum finito integro curationis menſe jam extra lectum potuit ambulare, ſenſim dein omnes cor-

poris functiones restauratæ sunt, vires fiebant bonæ, & post secundum mensem aderat integra sanitas.

Hæc ægra præter aconiti extractum cum saccharo nihil assumsit, & dosis tantum fuit scrup. i. mane & totidem vesperi.

CASUS QUARTUS.

Vir, 30 aliquot annorum, malo venereo jam olim sæpius affectus, tophaceos tumores in capitis parte capillata, in fronte, & in sterni osse habuit.

Applicatæ ei sunt frictiones mercuriales, apposita emplastra mercurialia, præterea dabantur decocta fortissima.

Hæc cum non prodessent varia sub forma ipsum mercurium assumsit; hunc

autem

autem æger ferre non poterat, etenim inde pectus angebetur, & orta eſt tuſſis vehemens cum capitis dolore.

His tentatis æger me vocavit. Conquerebatur tunc ingentes dolores præſertim nocturnos in tophis, & omnibus fere membris.

Dedi ipſi purgans ex jalap. granis XL & ſal. polychreſt. granis XX.

Dein exhibui mane & veſperi grana XX pulveris de aconiti extracto, & ſaccharo, fecique, ut ſemper deſuper biberet vaſcula bina decocti radicis bardanæ.

Spatio quatuordecim dierum evanuerunt omnes dolores, ſomnus nocturnus fuit longe tranquillior, appetitus bonus, tumores videbantur molliores, minores.

Auxi tunc dosim, & ter quotidie dedi drachmam dimidiam pulveris.

Hac dosi intra binarum septimanarum spatium nihil mutabatur.

Exhibui dein ter quotidie binos scrupulos hujus pulveris, sed neque hac dosi quidquam mutatum fuit, licet per plures septimanas continuaretur.

Cum igitur malum pertinax ex lue venerea traheret originem, cumque solum aconitum non sufficere videretur, exhibui ter quotidie drachmam dimidiam ex pulvere sequenti.

℞. Extract. aconit.
mercur. dulc. aa gr. iv.
facch. alb. unc. ß
m. f. pulv. tenuissimus.

Hoc medicamentum tantam habuit efficaciam, ut intra unum & dimidium men-

menſem omnes tumores evanuerint, & homo bonam haberet ſanitatem absque ullo doloris ſigno.

Tulit hac ratione mercurium, quem alia forma aſſumere non poterat. Juncta ſimul juverunt.

CASUS QUINTUS.

Fœmina, 38 annorum, ex lue venerea ingentes in omnibus membris dolores habuit, plura quoque, & fœdiſſima ulcera exedebant os frontis, oſſa naſi, humerum dextrum, & utramque tibiam. Conſueta antivenerea remedia nil effecerunt.

Tentavi, propterea aconiti extractum, & externe ulceribus ſuperimpoſui cicutæ emplaſtrum.

Mox ſedabantur dolores, & ulcera pus bonum fundebant.

Spatio quatuor menſium ulcera erant omnia conſolidata, & optima ſanitate fruebatur hæc fœmina.

Bis ſolummodo datum fuit purgans ex gr. XL jalap. & gr. XX ſal. polychr.

Præterea aſſumſit nihil, niſi pulverem ex aconiti extracto, & ſaccharo.

Hanc ſolum aconiti extractum a lue venerea liberavit.

CASUS SEXTUS.

Homo, 26 annnorum, febre hungarica diu divexatus, tandem longo remediorum uſu inde liberabatur.

Fugata hac febre pertinax dolor rheumaticus omnia ejus membra prehen-

hendit, deerat appetitus, corpus emaciabatur, languerunt vires.

Copiosum serum lactis, varia decocta, pulveres diaphoretici, & alia multa medicamenta levare hunc morbum nequaquam poterant, & medici assistentes timebant tabem.

Petebatur demum a me consilium.

Suasi, ut ter de die sumeret grana viginti ex pulvere de aconiti extracto, & saccharo, & qualibet vice biberet desuper jusculum, vel tenue qualecunque infusum.

Intra hebdomadis spatium minuebantur dolores, invaluit appetitus, augebantur vires, & somnus fiebat tranquillus.

Vix præterlapsi sunt bini menses, & aderat integra sanitas.

Præter hoc remedium datum eſt nihil, neque augebatur doſis, quum optatus aliunde effectus ſequebatur.

CASUS SEPTIMUS.

Fœmina, 50 aliquot annorum, ſenſit jam a pluribus annis dolorem dilacerantem in toto latere ſiniſtro, & propterea brachium, & pedem ejuſdem lateris movebat difficulter.

Circa temporis aërisque viciſſitudines hi dolores ſubinde adeo fiebant vehementes, ut ægra debuerit ſe lecto committere per plures dies.

Balnea & remedia varia nullum adferebant levamen.

Dum me accedebat hæc ægra, dedi purgans ex granis XL jalap. & granis XX ſalis polychreſti.

Dein

Dein juſſi, ut ſumeret mane, & veſperi dr. ß de pulvere ex aconiti extracto, & ſaccharo, & biberet deſuper vaſcula bina infuſi florum ſambuci.

Poſt octiduum membrorum motus erat liberior, & dolores longe minores.

Poſt tres ſeptimanas ægra jam integre videbatur curata.

Juſſi tamen, ut adhuc eodem remedio uteretur per unam alteramve ſeptimanam, ne facilis fiat recidiva.

CASUS OCTAVUS.

Puella, 10. annorum, peſſima ſpina ventoſa laborat in metacarpo manus ſiniſtræ, & in dorſo pedis ſiniſtri.

Tentatis plurimis internis externiſque remediis ſine effectu, me acceſſit, tota emaciata, debilis, & cachectica.

Præ-

Præſcripſi ei pilulas de cicutæ extracto, & pedem, ac manum cicutæ infuſo curavi foveri per diem, & tegi noctu emplaſtro de cicuta.

In pede malum brevi emendabatur, & menſis ſpatio tumor totus diſparuit, & ulcus, quod fœdum erat, fuit penitus conſolidatum.

Doſim dein extracti cicutæ auxi ita, ut grana XL per diem aſſumpſerit, & externis iisdem remediis fuit continuatum.

Vires redierunt, & bonus color, & appetitus, verum in manu manſit tumor lividus, exulceratus, fœtidum ichorem fundens, nec manus digiti poterant moveri.

Utebatur iiſdem remediis per plures ſeptimanas, ſed malum in manu nequaquam fuit levatum.

Hinc ad aconiti extractum deveni, & præbui mane, ac vesperi gr. xv pulveris de aconiti extracto & saccharo, cum per plures dies hanc dosim sine molestia tulisset, jussi ter quotidie sumeret grana xx ex eodem pulvere.

Externe continuo applicatum fuit fomentum de cicuta, & noctu emplastrum.

Hoc remedio mox dolores imminuti sunt, color lividus sensim in naturalem mutatus est, subsedit tumor, secesserunt fragmenta ossea, liberior fiebat motus digitorum.

Per plures menses idem remedium assumsit, & malum fere integre sublatum est, & puella cæteroquin optime valet.

Dosim extracti aconiti auxi, ut jam quotidie bina, vel & tria grana hæc puella deglutiat, & fert ea sine incommodo.

CA-

CASUS NONUS.

Vir nobilis, dolore podagrico vehementiſſimo jam a multis annis omni vernali & autumnali tempore vexabatur, vires inde amiſit, nec ſuo officio debito modo potuit fungi.

Cum infinita aſſumſiſſet remedia ſine levamine, me conſuluit, tempore quo laborabat vehementiſſimis doloribus.

Juſſi ter quotidie ſumeret drachmam dimidiam pulveris de extracto aconiti & ſaccharo, & deſuper biberet vel juſculum, vel tenue qualecunque infuſum.

Primo ſtatim die minuebantur dolores, & ortus eſt ſudor copioſus.

Tertio die ab omni dolore liber fuit. Malum hoc alias per plures ſeptimanas duravit, uſus dein eſt æger adhuc per

mul-

multos dies eodem remedio, ut omne acre ſubigeretur; & jam ultra biennium hoc morbo non amplius affligitur.

Bis tantum levia mali principia ſenſit, quamprimum autem unam vel alteram pulveris doſim aſſumit, ſilet malum, ſanitas bona eſt, & vires integræ.

CASUS DECIMUS.

Vir, 40. annorum, a ſubita refrigeratione febre rheumatica admodum vehementi prehenditur.

Datis remediis neceſſariis ceſſavit febris, verum dolores membrorum, & fere totius corporis manſerunt æque acerbi.

Unde externe frictiones aromaticæ, & ſpirituoſæ applicatæ ſunt, hæc liberabant quidem artus a dolore, ſed caput ve-

vehementer adeo afficiebatur, ut æger diu noctuque ejulaverit.

Assumpta decocta fortissima, factæ venæ sectiones, data purgantia, applicata vesicatoria, & balnea pedum juverunt nihil.

Dum uxor ad me veniret petitura pro marito auxilium, præscripsi pulverem de aconiti extracto & saccharo, ut ter quotidie sumeret grana XL, & biberet desuper bina vascula decocti emollientis.

Cœpit inde æger sudare, & mox caput levabatur, spatio octidui siluit omnis dolor, rediit appetitus, somnus; restauratæ sunt vires, & sensim æger optime convaluit, meque accessit acturus gratias.

CA-

CASUS UNDECIMUS.

Fœmina, 34. annorum, lue venerea laboravit, & inde remediis mercurialibus curata fuit.

Medio anno a curatione cœpit præter causam sibi notam dolore admodum vehementi affici in omnibus articulationibus, noctes ob dolorem habuit plerumque insomnes.

Credebatur hoc adhuc residuum esse a prægressa lue, unde datis purgantibus priora iterum ex mercurio parata remedia fuerunt exhibita, nil autem levaminis inde ægra sensit, debilitata est, & emaciata.

Varia dein decocta magna dosi assumsit, verum nec hæc juverunt.

Suasi tunc cicutæ extractum, & ilico dedi ter quotidie grana xx., appetitus inde augebatur, & vires increverunt, & mens facta est hilarior, dolores autem æque vehementes perstiterunt, licet integro mense hoc remedio diligenter usa fuerit ægra.

Hujus loco dein dedi pulverem de saccharo & aconiti extracto, & sumsit ægra ter quotidie drachmam dimidiam.

Hoc remedio per quatuordecim dies utebatur sine levamine.

Tentavi tunc, quid hæc juncta simul possent, & præscripsi pilulas sequentes:

℞. Extract. cicut. unc. ß
extract. aconit. dr. ß
m. exacte, ut fiant pil. gr. iij.
S. sumat ter quotidie tres pilulas.

His

His intra bidui ſpatium dolores multum mitigati ſunt, & ſomnus nocturnus fiebat tranquillus.

Spatio trium ſeptimanarum ægra integram ſanitatem recuperavit, nec ulla amplius doloris ſigna advertit.

Jam octo menſes ſunt, quibus optime valet.

CASUS DUODECIMUS.

Homo, 30. aliquot annorum, pertinaciſſimo capitis dolore jam pluribus annis laboravit. Cauſam rejecit in prægreſſos artuum dolores, quibus balneo diſpulſis, caput dolere cœpit.

Poſtquam plurima interna, & externa remedia diu adhibuiſſet ſine levamine, tandem ſalivationis curam ſubivit, neque

inde levabatur, neque alia fortiſſima mercurialia profuerunt.

Dedi huic mane duo grana extracti aconiti cum drachma dimidia ſacchari, eandem doſim veſperi iterum exhibui, & ſolum juſculum carnis juſſi, ut ſuperbibat; mox minuebatur dolor, & ſpatio quartuordecim dierum homo liber erat a toto morbo, & ſanus vivit. Licet prius infinitis remediis, & emplaſtris fuerit mirum in modum divexatus.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Juvenis, 25. annorum, dolore iſchiatico lateris ſiniſtri per plures ſeptimanas vehementiſſime exagitabatur, hoc demum remittente cœpit femur & crus totum extenuari, & motus pedis fere impoſſibilis fieri.

Fri-

Frictiones, balnea, ſcarificationes, veſicantia aliaque acria irritantia nil juverunt; nec ullum effectum produxerunt remedia interna, caro omnis evanuit, & mera oſſa, & tendines ſupererant.

Hinc dedi granum unum extracti aconiti cum ſaccharo mane, & unum veſperi.

Spatio ſex ſeptimanarum rediit caro, & toroſitas ita, ut crus unum alteri ſit ſimillimum.

Æger inde fortiter purgatus eſt, & multum ſudavit.

CASUS DECIMUS QUARTUS.

Fœmina, 40. annorum, jam in octavum annum lue venerea laboravit, in omnibus corporis oſſibus tophos habuit exulceratos, maxime vero in ſterno; fauces præterea quoque erant ex-

ulceratæ, & velum pendulum totum exesum, cibi & potus per nares redierunt.

Omnes luem veneream curandi methodi in hac ægra tentatæ sunt, & inde curabantur multa ulcera, & tophi plurimi disparuerunt, fauces autem, & os sterni æque in malo statu permanserunt, neque dolores nocturni sunt imminuti, unde ægra vires suas amisit.

Consideratis omnibus putavi: fore, ut forsan aconiti extractum rebelle hoc malum aufferret.

Exhibui ideo ter quotidie granum unum hujus extracti cum dimidia drachma sacchari, & desuper vascula bina decocti radicis bardanæ, quo alias jam largiter utebatur.

Do-

Dolores nocturni brevi mitigati, & ſedati ſunt, & ulcera omnia in melius mutata; ægra cœpit quietius dormire, membra facilius movere, appetere, recuperare vires.

Speravi hoc remedium ſolum fore ſufficiens ad curam perficiendam; verum ſublatis doloribus nocturnis ſtetit malum, nec tumores ſunt amplius diminuti, nec ulcera conſolidata, licet extracti doſim auxerim, & ejus grana ſex dederim quotidie per quinque ſeptimanas.

Præſcripſi propterea ſequentem pulverem.

℞. Extract. aconiti
mercurii dulcis aa gr. vj.
ſacchari albi dr. iij.
m. f. pulvis tenuiſſimus.

S. ſumat ægra ter quotidie drachmam dimidiam, & bibat deſuper vel juſculum vel infuſum qualecunque.

Uſu hujus pulveris intra binos & dimidium menſes diſparuerunt omnes in oſſibus tumores, ſeparata ſunt magna oſſium fragmenta carioſa, coierunt ulcera, partes deperditæ ex velo pendulo & uvulo recreverunt, ita, ut ægra optime deglutiverit, & voce diſtincta potuerit loqui.

Sana dein labores ſuos iterum rite peregit.

COROLLARIA.

Confirmatur igitur, aconiti extractum tuto & ſalubri cum effectu dari ægris.

Po-

Potenter id ſolvit, & tumores diſſipat, & ſubinde cicutam virtute ſuperat.

Tollit dolores arthriticos, rheumaticos, podagricos.

Movet tranſpirationem, & ſudorem.

Morbum venereum curat ſubinde, ubi alia remedia uſitata non juvant.

Junctum cum æquali portione mercurii dulcis efficacius quandoque eſt, quam omne remedium mercuriale, licet fortiſſimum.

Junctum cum extracto cicutæ juvat ſubinde, ubi ambo ſeperatim data nil efficiunt.

Prodeſt quandoque in amauroſi & cataracta, & cephalæa.

Ejus uſus per multos menſes protractus ægris nullam unquam noxam adtulit.

Dosis est a grano dimidio per diem, usque ad grana quatuor, quinque, vel sex &c.

CAPUT VI.

De Hyosciamo.

Extractum hyosciami in priori opusculo laudavi contra spasmos, melancholiam, maniam, epilepsiam.

Factis experimentis vidi hæc optime confirmata, non ita tamen evidenter, ut hoc remedium in hisce morbis universale, & infallibile deprædicarem, sed possum justo modo concludere: prodesse quandoque, ubi aliud nullum remedium juvat.

CASUS PRIMUS.

Puella, 8 annorum, febre acuta continua laborat, dolet vehementer capite, multum ſitit, pulſum habet durum, ita, ut ter debuerit ſecari vena.

Quarto die erupit exanthema ſcarlatinum cum maximo morbi levamine.

Ceſſerunt omnia optime uſque ad diem ſeptimum, quo ſubito convulſionibus puella corripiebatur, & forti delirio, jactitavit ſe, & triſti voce clamavit continuo.

Pulſus tunc erat debilis, inæqualis, non tamen admodum velox, alvus ſponte ſolvebatur bis inſcia ægra, prodiit quoque urina admodum fœtida in lectum, ægra quocunque modo rogata nil reſpondit, neminem cognovit, exanthema

thema ſcarlatinum totum diſparuit, oculi lachrimabantur; pectus tamen ſatis liberum videbatur, oblata difficulter admodum deglutivit.

Curavi veſicantia ſuris & nuchæ apponi, & plantis pedum epiſpaſtica, mixturæ priori, quæ erat antiphlogiſtica, addidi paucas guttas ſpiritus cornu cervi, & drachmam dimidiam tincturæ ſuccini.

Emplaſtra veſicas largas adtraxerunt, nil autem in morbi ſtatu inde mutatum fuit, nox fuit inquietiſſima, & convulſiones, tendinum ſubſultus corporisque jactationes continuæ, nec deſiit ingratus clamor.

Juſſi iteretur prior mixtura, ſed admiſcui ſimul drachmam dimidiam laudani liquidi, ut hac ratione in nervis

motus

motus perturbatus aliquantulum componeretur.

Verum æque parum effeci, manſerunt omnia mala ſymptomata, & nox iterum inſomnis fuit.

Tentare propterea volui, quid hyoſciami extractum hoc in caſu poſſet.

Præſcripſi iterum eandem mixturam, quam habuit die præcedenti, ſolummodo adjeci grana quinque extracti hyoſciami.

Vix tria cochlearia ſumſit ex hac mixtura, & jam minuebantur convulſiones, deſierunt tendinum ſubſultus, clamor erat minus frequens, & corpus magis quietum.

Circa veſperas ſequebatur ſomnus trium horarum, ex hoc evigilans cœpit potum petere, & novit matrem & adſtantes,

ſtantes, vix amplius deliravit, clamor deſiit penitus, & raro advertebatur in facie, brachiis, & pedibus convulſio.

Nox dein fere tota pacata fuit, & matutino tempore ſibi ægra erat optime præſens, pulſus erat æqualis, vix febrilis, ſitis pauca, oculi vivi, caput autem vehementer dolebat, & membra languebant, petiit ægra juſculum cum pane, & aquam pro potu.

Continuavi adhuc per binos dies eandem mixturam, & nullum amplius malum ſymptoma obſervabatur, vires pauliſper inſurgebant, augebatur appetitus, reſtauratæ ſunt functiones, & rediit ſanitas absque alio remedio.

CA-

CASUS SECUNDUS.

Vir, 40 annorum, ſubito corripiebatur cordis palpitatione vehementiſſima, ſimul ſupervenit dolens admodum in brachio ſiniſtro convulſio, inhibebatur reſpiratio, & aderat magnum ſuffocationis periculum.

Inſtituitur iterata venæ ſectio, adhibenturque remedia, quæ malo præſenti mederentur.

Mitigata inde ſunt ſymptomata, cordis motus fiebat magis regularis, brachii convulſio ceſſavit, & ſat bene ſe habuit æger per plures horas.

Dein autem idem malum per vices eadem vehementia rediit; noctu quoque ſomnus turbabatur.

Poſt-

Poſtquam per plures dies remedia interna externaque varia ſine effectu tentaſſem, exhibui tandem hyoſciami extractum.

Dedi grana duo mane, duo ad meridiem, & totidem veſperi.

Primo ſtatim die paroxyſmus neque ita frequens, neque adeo fortis fuit.

Secundo die cordis palpitatio ceſſavit penitus, in brachio vix ulla convulſio advertebatur, pectus fuit minus anxium, & nox ſomno reficienti tranſigebatur.

Tertio die æger cœpit appetere, vagos tantum in brachio tendinum ſubſultus ſenſit, cordis motus vix unquam turbatus obſervabatur, nox iterum tranquilla fuit.

Quarto

Quarto die æger bene ſe habuit, & ſanæ erant omnes functiones.

Continuavit eandem extracti doſim adhuc per quinque dies, & cum dein optime valeret, abſtinuit ab omni remedio.

Bini nunc anni ſunt, quibus optima ſanitate fruitur.

CASUS TERTIUS.

Fœmina, 30 aliquot annorum, malo hyſterico enormiter exagitata a pluribus annis, incidit in profundam melancholiam, & omni momento timuit, ne a diabolo raperetur, vel duceretur ad carceres, & damnaretur ad mortis ſupplicium.

Antihyſterica remedia omnis generis aſſumſit diu, aërem habitationisque locum ſæpius mutavit, & in vivendi ra-

tione evitavit ea omnia, quæ vel eminus nocere videbantur.

Aſt malum nullo modo levabatur.

Feci propterea, ter de die aſſumeret granum unum extracti hyoſciami; utebatur hoc remedio per octiduum citra ullam morbi mutationem.

Juſſi dein bina grana ter quotidie deglutiret; mox ſenſit ſe liberius reſpirare, nec adeo eſſe anxiam, noctu ſine multis inſomniis ſuaviter dormivit, & cœpit cibos appetere, a quibus antea abhorruit.

Aſſumſit dein ter quotidie grana tria hujus extracti, & hac doſi ſpatio viginti dierum integre reſtituta fuit.

Rediit hæc fœmina ad me poſt binos a curatione menſes, optime ſe habens, & rogavit ſolummodo an non pur-

purgans assumeret, cum tempus esset vernale, quo assueta esset purgari, verum id dissuasi, cum nullum viderem signum, quo indicaretur, & partim timebam, ne in sano corpore quidquam turbaretur.

CASUS QUARTUS.

Homo, 44 annorum, studiis plurimum deditus, malo hypochondriaco multum vexabatur, & tandem eo devenit, ut noctu nil posset dormire; etenim, etiamsi somno prehenderetur per unum alterumve minutum, evigilabat iterum subito convulsus inter summas anxietates, & horrendos spectrorum timores, & calores urentes per totum corpus.

Cum hæc jam per plures ſeptimanas duraſſent, cœpit contabeſcere, & multum debilitari.

Varios conſuluit medicos, data ei ſunt remedia, quæ ſimilibus in morbis cæteroquin optima ſunt, & quoniam veſperi advertebatur pulſus paulo intenſior, calorque corporis naturali auctior, adhibita tunc ſunt medicamenta nitroſa, emulſa, refrigerantia, & nec hæc ullum adferebant levamen, ideo data ſunt paregorica, & dein fortiora opiata.

Verum his potius anxietates, inſomnia, & morbi ſymptomata augebantur.

Conſului tunc, ut mane grana duo extracti hyoſciami aſſumeret, & totidem veſperi.

Senſit

Senſit ſtatim primo die pulſantem, & urentem in toto corpore calorem imminui, advertit vagos per membra, & in ſpina dorſi horrores, noctem autem æque inſomnem tranſegit.

Altero die ad meridiem habuit magnum comedendi deſiderium, noctu per exigua intervalla dormivit, reliquo autem tempore vexabatur anxietate, ut antehac.

Tertio die dedi mane & veſperi grana tria extracti hyoſciami; ad meridiem appetitus fuit iterum bonus, & nox inſequens multo tranquillior, & æger longe reddebatur hilarior.

Continuabatur dein eadem doſi, & diminuebantur omnia morbi ſymptomata quotidie, & poſt decem circiter dies æger ſaniſſimi inſtar dormivit per ſeptem

vel octo horas ſine ulla interruptione, reficiebatur inde plurimum, & poſt tres ſeptimanas integram ſanitatem recuperavit.

CASUS QUINTUS.

Ancilla, 20 aliquot annorum, a medio anno vexabatur omni quarta, vel quinta nocte verſus quartam matutinam convulſione per totum corpus, & inde debilitabatur.

Mali cauſam ignoravit.

Exhibui ei pilulas ex gummi ferulaceis, ex aſa fœtida, caſtoreo, & pauca camphora.

In principio malum inde fiebat minus vehemens, verum poſtea erant convulſiones multo fortiores.

Ten-

Tentavi dein corticem peruvianum magna doſi per octiduum, nil autem levaminis advertebatur.

Quare ad extracti hyoſciami uſum deveni, & dedi ter quotidie granum unum hujus extracti.

Hac doſi per plures dies nil efficiebatur, unde dedi ter quotidie grana duo.

Advertit tunc ægra paroxyſmos paulo tardius incipere, ſymptomata autem erant æque vehementia.

Dedi dein ter quotidie tria grana, & hac doſi factum fuit, ut ægra per duodecim dies nullum haberet paroxyſmum, & jam ſe ab hoc malo liberam putabat.

Verum tunc per binas noctes agitabatur fortiſſimis convulſionibus, & vires penitus ſunt proſtratæ.

Hinc auxi dosim & ter quotidie grana quinque hujus extracti exhibui.

Ab eo tempore vires auctæ sunt, & nullus amplius paroxysmus observatus est, hac dosi per integrum mensem ægra continuavit uti, & cum dein se penitus sanam adverteret, abstinuit.

Rediit ad me post tres menses a curatione, egit adhuc gratias, & fruebatur optima sanitate.

CASUS SEXTUS.

Juvenis, 18 annorum, tussi sicca, titillatoria, continua, diu noctuque agitabatur, pectore vehementer doluit, & merito timebatur hæmoptoë.

Quæcunque data remedia nihil prorsus emendabant, emollientia, glutinosa, paregorica, opiata nec minuere poterant tussis vehementiam. Ten-

Tentavi propterea quid hyofciami extractum poffet, & addidi mixturæ, qua æger jam per fesqui diem fine effectu utebatur, grana decem hujus extracti.

Poft tria cochlearia cœpit minus tuffire, dolor pectoris minuebatur, & fequebatur fomnus tranquillus per integram horam.

Æger inde multum reficiebatur, & tuffiebat longe liberius, & minus frequenter, unde eodem remedio continuatum fuit.

Nox erat tranquilla, & altero die rara admodum tuffis obfervabatur, æger cœpit appetere, & tantum omni trihorio cochleare unum ex hac mixtura fumfit.

Nox iterum tranquilla fuit, & dein vix amplius ullo remedio opus erat,

cum tuſſis ceſſaſſet, & æger ſe bene haberet.

CASUS SEPTIMUS.

Vir, 40. annorum, ſanus ſemper & robuſtus, incidit in profundam melancholiam, quum eum honoris gradum non obtinuit, quem petiit, & ambiebat.

Melancholia tranſiit in veram maniam, & æger mox ſe Generalem credidit, mox ſe Legatum ad primas aulas dimittendum dixit, mox ſe in Regem variarum regionum elegit.

Multorum medicorum conſilia adhibebantur, parcebatur nullis ſumptibus, & cum remedia non juvarent, rudius tractabatur, & ſeveris minis.

Inde autem furibundus factus eſt, & nulla in re obedivit, & quidcunque medica-

dicamenti titulo offerebatur, vi respuit.

Suasi tunc, ut in jentaculi, & cœnæ ferculis solveretur hyoscyami extractum, & hac ratione dolo ingereretur.

Sumsit tali modo mane grana quatuor hujus extracti, & totidem grana vesperi.

Hæc dosis sufficiebat ad falsas ideas penitus delendas; etenim intra paucos dies omnia mutabantur in melius, & tandem mentis ratio & judicium perfecte redierunt.

Sanatus Vienna discessit, & jam plures mihi scripsit epistolas, rite combinatas, quibus se optime valere testatur, idem & sui amici grato animo confirmant.

COROLLARIA.

Extractum hyosciami tuto datur ægris.

In-

Incipiendum autem eſt ſemper parva doſi, uti cum aliis ſimilibus remediis fieri ſuadeo.

Nervorum inordinatos motus compeſcit, hinc convenit in convulſionibus, & ſpaſmis hyſtericis, ac hypochondriacis.

Somnum & quietem inducit, ubi ſæpius opium id non efficit, hinc in nimiis vigiliis indicatur, ubi ſopiendum eſt.

Perverſas mentis ideas delet, mentis furiem componit, hinc in mania & rabie ſæpe mira præſtat.

Vehementiſſimam tuſſim ab irritatione ortam quandoque compeſcit, & hæmoptoën.

CA-

CAPUT VII.

De Colchico autumnali.

Ex recenti & ſucculenta hujus herbæ radice parari acetum, & inde fieri cum melle ſimplici oxymel colchicum, in priori de colchici autumnalis radice libello afferui.

Quo ſucculentior eſt hæc radix, eo eſt efficacior; hinc potius colligi debet in principio æſtatis.

℞. Radicis colchici recentis, ſucculentæ, in tenues taleolas ſectæ. unc. j.
aceti vini. lib. j.

Hæc lento igne in phiala vitrea invicem digere per quadraginta octo horas, ſæpius tamen phialam agitando; dein colaturam leviter expreſſam exhibe.

Sic

Sic paratum habes acetum colchicum, quod pro vario uſu aſſervari poteſt vaſe bene clauſo, ex hoc dein paratur oxymel colchicum.

℞. Aceti colchici rite parati. libr. j.
mellis pur. libr. ij.

Miſce, & ſupra molli igne, ſæpius agitando cochleari ligneo, coque ad mellis conſiſtentiam.

Docui variis experimentis, hoc oxymel colchicum incidere glutinoſum, promovere ſputa, pellere urinam, & hac ratione plures inde morbos poſſe curari, qui aliis conſuetis remediis non obediunt.

Experimenta nova confirmant priora.

CASUS PRIMUS.

Puella novem, & puer octo annorum laborant febre ſcarlatina.

Ex hoc morbo curati, fiunt ambo hydropici per totum corpus.

Medicus, qui in febre curam geſſit, omnem quoque operam impendit, ut hunc quoque morbum tolleret.

Verum fruſtra tentabantur omnia, & puella aquis ſuffocata obiit.

Caſu fortuito vocabar ad fœminam, quæ in eadem domo ægrotabat, parentes ratione pueri hydropici meum conſilium implorabant.

Is multum tuſſivit, erat pectore anxius, ſcrotum erat fere æque magnum ac infantis caput, penis pellucido tumore in magnam molem accrevit, nulla

la prodibant ſputa, & urina pauca, rubra, ſtrangurioſa.

Præſcripſi oxymel colchicum, ut quatuor vicibus per diem puero darent drachmam unam & dimidiam in infuſo florum rheados.

Sputa ſtatim liberius rejecit, ſenſitque magnos ad urinam teneſmos, vix tamen plus urinæ fluxit.

Cum per tres dies alvo careret, dedi binas uncias ſyrupi mannati, & drachmam unam ſalis polychreſti, ut unico hauſtu aſſumeret.

Quinquies inde purgatus fuit, neque tamen venter, qui tenſus admodum, & inflatus erat, detumuit, neque in aliis partibus levabatur morbus.

Juſſi dein exhiberent iterum oxymel colchicum & darent duplam doſim in eodem infuſo.

Uri-

Urina tunc cœpit copiose & sine ardore fluere, alvus solvebatur quotidie, prodibant sputa, respiratio fiebat liberior, cœpit æger cibos appetere, bene dormire, & spatio quatuordecim dierum integre convaluit.

CASUS SECUNDUS.

Vir, 60 annorum, asthmate laborans, & ventris hydrope, & pedum magno duroque tumore, postquam jam a medicis pluribus esset derelictus, meum consilium rogavit.

Suasi, ter quotidie sumeret unciam dimidiam oxymellis colchici in vasculo infusi hyssopi.

Mox sensit levari pectus, prodire sputa crassa, flava, & subinde viridia, fluxit copiosa urina, & alvus bis terve

quotidie ſolvebatur cum morbi tanto levamine, ut æger in quarta, qua hoc remedio utebatur, ſeptimana me ſolus accedere potuerit, habens ſat bonas vires, vix amplius tuſſivit, & aberat omnis tumor.

Juſſi minori doſi adhuc per binas ſeptimanas idem remedium aſſumeret, & hac ratione convaluit.

CASUS TERTIUS.

Fœmina, 63 annorum, anaſarca laboravit, & ſimul aſcite, pectore erat ita anxia, ut citra ſummam difficultatem, & ſuffocationis metum vix ambulare, minus adhuc gradus aſcendere potuerit.

Præſcripſi oxymel colchicum, ut inde omni bihorio ſumeret drachmam inſtar linctus. Mox

Mox copioſiorem ſenſit urinæ fluxum, alvus quoque aliquoties movebatur quotidie.

Spatio octidui tumor omnis longe minor videbatur, & pectus liberius, pedesque magis mobiles.

Juſſi poſtea, ut omni bihorio ſumeret binas drachmas de oxymelle colchico.

Hac doſi ſpatio quinque ſeptimanarum omnis in artubus tumor diſparuit, venterque ad exiguam molem eſt redactus.

Continuavit adhuc idem remedium per binas ſeptimanas, ſed major effectus non evenit; remanſit adhuc ſemper in Ventre tumor fluctuans, neque urina adeo copioſe fluxit ut antea.

Scripſi propterea ſequentem formulam:

℞. Terr. foliat. tart. dr. ij.
oxymell. colchici unc. v.
Spirit. nitri dulc. dr. ij ß
M.

S. omni bihorio drachmas duas ſumat.

Hac ratione longe major urinæ copia prodiit, & ventris moles præternaturalis evanuit.

Cum autem appetitus langueret, addidi adhuc priori formulæ drachmas duas tincturæ helenii.

His ſolis rediit appetitus, vis vitæ, & ſanitas.

CASUS QUARTUS.

Vir nobilis, 64 annorum, jam a pluribus menſibus inſultu aſthmatico vexabatur, ſenſitque reſpirationem in-

inhiberi, dum fortius incederet, vel gradus aſcenderet, vel majori emphaſi loqueretur.

Magna cura & adtentione adhibebantur omnia remedia, quæ ad debellandum anxium hunc morbum videbantur indicata.

Malum tamen continuo augebatur, & miſer ſe debebat lecto dare.

Inſultus aſthmatici fiebant adeo vehementes, ut facies tumeret, liveret, prominerent oculi, & ruberent, & loquela erat penitus impedita, ronchoroſus in aſpera arteria ſtrepitus ſuffocationem minitabatur.

Jungebant ſe vera hydropis pectoris ſigna, & extrema intumuerunt, deerat omnis appetitus, ſomnus erat anxius, interruptus, defatigans, extrema frige-

bant fere ſemper, pulſus erat debilis, & intermittens; ego monebam amicos de mortis periculo, &, ut verum fatear, vix ullam curationis ſpem amplius ſupereſſe putabam.

Quo efficaciora dedi remedia, eo pejus ſe habuit æger, & quamvis fuerit in aſſumendo exactus, & diligens, cœpit tamen a medicamentis abhorrere.

Cum igitur parca doſi oxymel colchicum magnos quandoque effectus præſtaret, id exhibui, dedique omni bihorio duo parva cochlearia (caffée-Löfferl voll.)

Primo die nil mutatum inveni.

Secunda die cœpit copioſa urina prodire cum multo muco, & tuſſiendo rejiciebatur ſubinde ſputum rotundum, nigrum, vel cæruleum, membranaceum peni-

penitus, & ſtrepitus in aſpera arteria minuebatur.

Continuavimus eadem doſi, & malum brevi levabatur, paroxyſmi aſthmatici erant minus longi, minus anxii, & ſputum illud nigrum rotundum, membranaceum copioſius prodiit, ſolvebatur alvus ſponte.

Nullo alio remedio opus fuit, hoc enim ſolo vir nobiliſſimus ex manifeſto mortis periculo evaſit, & ſpatio binorum menſium integre convaluit.

Jam ultra annum ſanus eſt, & ſuo officio, quod multum ſtudii, & operis exigit, optime fungitur.

CASUS QUINTUS.

Puella, 13. annorum, ventrem & pedes tumidos admodum habet, & re-

ſpirationem anxiam cum brevi & frequenti tuſſicula; ad minimum motum cor dira palpitatione agitabatur, miſera noctu ſæpius ſubito evigilavit, & ſemper erecto trunco debet lecto inhærere.

Poſtquam vidiſſem multa, & egregia medicamenta a medicis huic ægræ eſſe incaſſum adminiſtrata, tranſivi illico ad oxymellis colchici uſum.

Juſſi omni trihorio ſumeret drachmam unam.

Urina inde non movebatur, ſed alvus cœpit fluere, & ægra debilitabatur; reſpiratio fiebat pejor, & reliqua mala ſymptomata augebantur.

Indicatio pellendi urinam urgebat; nullum medicamentum, quod minori doſi ageret, neque eſſet violentum, novi præter oxymel colchicum, cavendum igitur

erat,

erat, ne alvus flueret nimium, & potius viæ urinariæ aperirentur.

Præscripsi igitur

℞. Syrup. papav. alb.
oxymell colchici ana unc. j. ß
M.

S. sumat omni trihorio parvum cochleare (caffee-Löfferl voll.)

Alvus inde non movebatur, & oriebantur mingendi conatus.

Altero die prodiit multa urina subfusca.

Tertio die ægra melius habuit, & urinæ fluxus continuavit, alvus autem retinebatur & quarto die ad eam movendam enemate opus erat, cum ægra tormina sentiret, borborygmos, & innanes alvi tenesmos.

Dedi dein omni bihorio parvum cochleare ex hoc remedio.

Hac ratione intra ſex ſeptimanas tumor omnis diſparuit, pectus fuit liberum, vires auctæ ſunt, bonus erat appetitus, ſomnus ſat tranquillus, & rara admodum cordis palpitatio.

Hyſterici motus ſubinde obſervabantur, hi autem remediis nervinis antihyſtericis brevi ſunt compoſiti.

CASUS SEXTUS.

Fœmina, 50. annorum, ventris hydrope laboravit, & tuſſi admodum vehementi jam a multo tempore, extrema non tumebant.

Dum me acceſſit, præſcripſi illico oxymel colchicum, ut linctus inſtar omni bihorio ſumeret parvum cochleare.

Sputa

Sputa mox copiosa prodierunt, & observabatur frequens ad urinam impetus, fluxit autem urinæ pauca copia.

Cum per sex dies vidissem hanc dosim, ratione ventris, nil efficere, jussi omni quadrihorio unciam dimidiam sumeret.

Mox inde tanta urinæ copia fluxit, ut merito timeretur, ne siccum fieret corpus, unde per aliquot dies debuit penitus abstinere.

Dein autem parva dosis ad integram curationem suffecit.

CASUS SEPTIMUS.

Ancilla, difficillima respiratione pedumque ac ventris tumore laborans, per multas septimanas optimis usa est remediis sine ullo levamine, imo mutabantur omnia in pejus.

Ex

Ex oxymellis colchici uſu mox facilius reſpiravit, rejecit ſputa, copioſam dimiſit urinam, & intra breve tempus perfecte curata eſt.

CASUS OCTAVUS.

Vir, 50. annorum, ex eodem remedio a pertinaci aſthmate, & ventris hydrope convaluit.

CASUS NONUS.

Idem contigit vetulæ aſthmate adeo vehemente laboranti, ut vix aliquot gradus ſine metu ſummo ſuffocationis potuerit aſcendere.

Sputa copioſa, glutinoſa, tenacia, fuſca rejecit, & alvus aliquoties ei per diem movebatur.

CASUS DECIMUS.

Ancilla faciem totam œdematoſo tumore inflatam habet a quatuor ſeptimanis tanta mole, ut oculos aperire non potuerit, nec diſtincte loqui, nec debito modo cibos maſticare, & deglutire.

Nec externa remedia, nec interna tumorem diminuebant; imo ægra fiebat vertiginoſa & in ſoporem incidit, ita ut timendum eſſet, interna capitis quoque tumere, aut forſan quid extravaſati ibi hærere; applicata ad nucham veſicantia, quamvis multum ſerum adtraxiſſent, malum tamen non levabant.

Datum oxymel colchicum movit urinam, ſolvit bis aut ter quotidie alvum, ægra inde moleſtum in facie & toto capite pruritum ſenſit, mox autem tumor

conci-

concidit, & intra decem dies misera convaluit.

Sumsit mane, ad meridiem, & vesperi unciam dimidiam hujus oxymellis cum vasculo infusi florum sambuci.

COROLLARIA.

Patet ex his, oxymel colchicum salutare admodum medicamentum esse, nec ullam ægris noxam adferre unquam, si a prudenti medico exhibeatur.

Glutinosum incidit, solvit, sputa promovet, pellit urinam.

Hinc in morbis pectoris, & in hydrope optime convenit.

Non tamen omnes pectoris morbos aut hydropes curat.

Sed prodest quandoque, ubi omnia alia remedia non agunt.

Quan-

Quandoque etiam hoc remedium incaſſum datur.

Si a parva doſi inchoatur cura, tuto tunc agit medicus.

Datur a drachma una uſque ad uncias duas aut tres per diem, ſenſim augendo doſim.

In robuſtis & bona viſcera habentibus illico a magna doſi licet incipere.

Si hoc remedium alvum movet ſine morbi levamine, tunc ei miſcenda ſunt opiata, & hac ratione agit per urinæ vias bono cum eventu.

Acetum colchicum egregium eſt reſolvens externe applicatum, vidi hoc remedio magnum tumorem ad oculi ſiniſtri canthum internum diſſipatum eſſe applicatione hujus aceti a dexterrimo ſereniſſimi Archiducis Leopoldi chirurgo *Brambilla.*

Vir-

Virtutem oxymellis colchici in curando hydrope mihi innumeris laudibus, & magna cum admiratione confirmavit doctiſſimus *Zach*, phyſicus & medicus ordinarius in magno hoſpitali militari, quod Peſtini eſt; is enim multos hydropicos milites ſolo hoc remedio cito & facile curavit.

Idem adfirmat *celeberrimus Schinz* Tigurinus medicus, amicus meus plurimum venerandus, dicendo in præfatione, quam germanicæ verſioni opuſculi de radice colchici autumnalis addidit: jam plures ægri in noſtro noſocomio ſapientiſſima cura digniſſimi noſtri medici ac phyſici *Hirzelii* ope oxymellis colchici levati curatique ſunt. Inter hos præſertim fœminam numero, quæ per quinque, & dimidium annos gravida erat, & infantem fœmel-

lam

lam optime formatam in tuba Fallopiana gessit.

CAPUT VIII.

Observata ab exteris communicata.

Multa ab exteris observata habere nunc non possum, quum continua itinera aulica, & morbus, quo diu & vehementer laboravi, non admiserunt, ut in colendo epistolarum commercio exactus essem, hinc multa debui negligere, & sæpius non poteram respondere debito tempore.

Dum anno elapso Francofurti eram, me pessimus icterus, & febris cum vo-

mitu admodum dolenti, & debilitanti detinuerunt.

Erant ibi plures medici, qui me ſua præſentia ſæpius honorarunt, narraruntque varias & magnas curationes, quas cicuta perfecerunt.

Inter alios ſanabatur fœmina, quæ a longo tempore ingentes in toto collo & circa aures tumores ſcirrhoſos habuit, monſtroſa inde penitus erat, ita quidem, ut in publico conſortio comparere non auderet, liberata ab his fuit, & priorem formam recuperavit.

Hæc me acceſſiſſet gratias actura, ſi morbo detentus non decubuiſſem in lecto.

Gratiſſimo animo recordor Eruditiſſimi colloquii, quo celeberrimus Archiater, & Conſiliarius Heſſo-Homburgenſis, Do-

minus

minus de *Kaempf*, mihi quotidie per plures horas morbi incommoda leviora reddidit, & mentem dejectam multum exhilaravit.

Is inter alias pulcherrimas observationes mihi casum sequentem de usu, & utilitate extracti aconiti transcripsit.

Mulier arthritica, cujus curationem tibi viva voce, paucis exponendi copia desiderata mihi fuit, a novem mensibus nulla indiget medicina, sanitate enim, quam tuæ inventioni debet, utitur integra.

Terras nunc laborat, quæ sine extracti aconiti usu immobilis fere lecto affixa esset. Mira certe præstitit in morbo hoc desperato. Silentio hinc prætereo leviores parotides induratas, cancrosas, ulcera maligna, rheumati-

mos &c. quos efficaciſſimo hoc remedio ſanatos vidi.

Quinquagenaria hæc fœmina, viginti abhinc annis poſt infelix perpeſſum puerperium ſæpius articulorum doloribus oppreſſa fuit, thermas aliquoties adiit, unde parum boni reportavit, varia interna remedia adhibuit, quæ malum potius onerarunt, & denique in podagram nodoſam tansmutaverunt.

Solamen a me flagitans, digitos incurvatos, manus nodis mirum deformatas plane non movere, nec niſi ſuffulta deambulare valuit, dies noctesque diris dilacerata fuit doloribus. Hos aconiti extractum intra paucos dies mitiores fecit, prægreſſis per urinam, & alvum excretionibus crebrioribus, interdum virideſcentibus.

Ela-

Elapſis ſex ſeptimanis eam maxima lætitia perfuſam reperi, de eo, quod poſt tot annos prima vice panem ſecare, fila lanæ ducere, & flexis genubus manibusque conjunctis preces dicere poſſit.

Sed quæ ſunt hominum fata! Ipſa libere per plateas ambulans, & gaudio triumphans occurrit petulanti aſino, animali alias lento, & pacifico, qui tali impetu in eam irruit, ut os claviculæ, & femoris fracta reportaret.

Hoc novo malo brevi curata uſum extracti aconiti ſtrenue, & cum euphoria continuavit, conſumſit enim intra octo menſes libram ſemiſſem pulveris de aconiti extracto, & ſaccharo, eo quidem effectu, ut tophi lapidei quoque ad dimidium diminuti fuerint.

Mergentheimii ſolertiſſimus medicus, ac phyſicus, & pharmacopœus efficaciam extracti cicutæ, & aconiti infinitis laudibus extulerunt, & multis atque dignissimis curationum hiſtoriis confirmaverunt.

Kreilsheimii tradiderunt mihi ſequentes morborum curationes expertiſſimus medicus *Hezel*, & diligentiſſimus chirurgus *Vogel*, qui ambo Halæ Suevorum degunt.

Fœmina, 52 annorum, ante aliquot annos afficiebatur vehementiſſimo capitis dolore, qui per aliquot menſes duravit; tunc autem ceſſavit, & facies tota enormiter intumuit.

Hicce tumor in labium oris inferius contrahebatur, & ibi magnum ardorem pruritumque excitavit.

Ap-

Applicabantur varia remedia, hæc autem effectu carebant, & tumor ſenſim mutabatur in verum ſcirrhum, qui continuo remediorum uſu in ulcus cancroſum, inæquale, tuberoſum, & admodum fœtidum degeneravit.

Hoc in ſtatu dedi mane octo grana extracti cicutæ, & totidem veſperi, externe applicui decoctum cicutæ cum aqua calcis vivæ, & pauco ſaccharo ſaturni.

Intra quatuordecim dies jam omnia erant in melius mutata, & ægra erat plena gaudio, & lætitia.

Dedi tunc duplam extracti doſim, externis continuavi, & intra paucas ſeptimanas fœdiſſimum hoc malum perfecte curavi.

Homo, 25 annorum, per aliquot annos caſtra ſequebatur, & ſubito præter cauſam ſibi notam cœpit vera amauroſi in oculo dextro laborare.

Adhibebantur ilico efficaciſſima remedia, verum viſus manſit deletus.

Poſt aliquot ſeptimanas pes inflammabatur & intumuit, & acceſſit febris vehemens cum magna ſiti.

Applicata quamvis fuiſſent debita remedia, tumor tamen rumpebatur, & abiit in ulcus malignum, trahebatur morbus, & ſupervenit cachexia.

Æger peſſimo in hoc ſtatu mihi commendabatur.

Dedi ſtatim quotidie grana xvi extracti cicutæ, & vulnus decocto cicutæ, & aqua calcis vivæ deligavi.

Poſt

Poſt octiduum dedi grana xx extracti per diem, & oculo amauroſi laboranti applicui vapores decocti cicutæ.

Intra paucas ſeptimanas omnia mutabantur in melius, & æger ſenſit fugitivos lucis radios, nil tamen adhuc potuit diſtinguere.

Auxi poſthac doſim extracti cicutæ, & dedi grana xx mane, & totidem veſperi, reliquis externis remediis continuatum eſt.

Tantum hæc cura habuit ſucceſſum, ut ſpatio binorum menſium non ſolum ulcus peſſimum & fiſtuloſum fuerit integre ſanatum, ſed & rediit viſus ita, ut æger potuerit omnia objecta optime diſtinguere, & videre.

Mirabantur omnes tantum remedii effectum, qui ægrum in miserrimo statu antea viderunt.

Virgini, 12 annorum, ante 4 annos incipiebant parotides dextræ tumere, & indurescere.

Medicamenta statim adhibita sunt interna & externa, verum tumores increverunt semper.

Audebat tunc chirurgus applicare remedia caustica corrosiva, ut hac methodo tumores consumeret, successus autem erat malus; orta sunt ulcera pessima, excrevit caro fungosa, & exstillavit ichor fœtidissimus, & cum talia remedia adhuc continuarentur, fiebat verum carcinoma.

Miseriis tandem coacti parentes meæ curæ commiserunt filiam. Situs tumo-

rum

rum non admiſit exſtirpationem, unde denuo ad extractum cicutæ confugi, & cum ægra pilulas non potuit deglutire, miſcui extractum cicutæ cum ſyrupis, & hac ratione cochleatim exhibui præter decoctum radicis althææ, ſcrophular. liquirit. &c. ad ulcera applicui mel roſarum cum pulvere cicutæ, & ſuperimpoſui emplaſtrum de cicuta.

Intra paucos menſes non tantum ulcera conſolidata ſunt, ſed etiam tumores ſunt integre diſſipati.

Fateor, quod hæc curatio mihi magnum gaudium attulerit, feceritque animum in omni data occaſione cicutam tentandi.

Virgo, 26 annorum, jam a ſex annis ſcirrhum ovo anſerino majorem ſub axilla dextra habuit.

Tan-

Tandem me consuluit, & dedi statim purgans, & postea pilulas de cicuta.

Post quatuor septimanas erat tumor mollior, mobilior, & incipiebat dolere. Auxi dein extracti cicutæ dosim, & incipiebat tumor sub axilla minui, verum glandulæ submaxillares ejusdem lateris intumuerunt, & duræ factæ sunt; & quo minor fiebat scirrhus sub axilla, eo magis increverunt hæ glandulæ.

Auxi dein iterum extracti dosim, & dedi mane grana xx, & totidem vesperi, externe applicui emplastrum de cicuta, & de ranis cum mercurio.

Hac ratione redigebatur tumor sub axilla ad ovi columbini magnitudinem, submaxillares autem glandulæ manserunt in eodem statu.

Ve-

Vetula, 72 annorum, peſſimo cancro exulcerato laborat in mamma ſiniſtra.

Exhibemus ei pilulas de cicuta, ulcus deligamus decocto cicutæ, vel etiam melle roſarum cum pulvere de cicuta.

Minuitur jam durities, & integra fruſta ex ulcere decidunt, peſſimi ichoris loco adeſt pus bonum, & ſigna omnia adeo ſunt bona, ut non obſtante ſumma ægrotantis ætate nobis de integra curatione adulemur.

Celeberrimus *Strack*, qui Moguntiæ tanta cum laude, & felicitate praxim exercet, & profeſſorio munere fungitur, ſequentia humaniſſimis epiſtolis ad me ſcribit:

Puer

Puer triennis teſticulum cancroſum habuit; qui ovum gallinæ craſſitie fere æquabat, atque extra ulceratum ſcrotum proceſſit.

Erat iſte cancer apertus, fuſcus, exulceratus, qui & ſaniei multum ſtillavit, & protinus ſanguinem, ſiquidem is tactus eſt, reddidit.

Voluit chirurgus vitiatum teſticulum præſcindere; potiſſimum cum aliquod ſpatium in funiculo ſpermatico adhuc integrum patuit. Illud vero pueri mater maxime impedivit, quoniam id crudele putaverat, flevitque, ut alio quopiam auxilio ſuccurrerem.

Quare ægri alvum purgavi, poſtea diætam imperavi, deinde vitiatas partes tinctis in cicutæ decocto linteis circumdari foverique juſſi: & cicutæ pilulas

me-

medicinæ dedi, quarum octo mane totidemque vefperi quotidie affumeret.

His factum in ulcere bonum pus eft, novæque carnes veluti ex recenti vulnere provenerunt: finitoque tertio curæ menfe puer ex toto convaluit: ejufdem tefticulus fano fimilis intra fcrotum, quod cicatrice claufum eft, rurfum conditur.

Puella triennis ex vitiato corporis habitu contabuit: noctu infudavit, & pulfum exilem habuit, & juxta unius manus offa metacarpi atque fecundum utrumque pedem tophos, infraque finiftram alam ad mufculum pectoralem ufque, grandem perdurumque fcirrhum habuit: itemque ad os, in qua parte labia committuntur, ulceratum lichenen, quem hæreditaria labe accepiffe ægram verifimile eft, præter

ter hæc univerſa corporis cutis colorem, decoremque amiſit.

Quæcunque vero medicamenta aliquamdiu adhibita fuerunt, nequaquam profuerunt.

Quare inſpiſſatum recentis cicutæ ſuccum ægræ præſtiti, ejuſdemque mane atque veſperi pilulas octo exhibui; incipiendo a duabus donec, ad octo aſcendiſſem.

Præterea ipſos tophos, durum ſub ala tumorem, unguento mercuriali ſæpe inungi juſſi.

His ſudor deſiit, exſiccatus lichen, ſubjectaque cutis mollis depurata eſt; factuſque bonus, firmus, lautuſque omnino corporis habitus, ſummaque mentis hilaritas. Univerſa corporis cutis alba, clara, ſubroſeaque evenit, minor mobilisque

que factus sub axilla scirrhus est, idemque veluti in distinctas portiones secedit. Ipsi vero tophi iidem permanserunt.

Jam per integrum fere annum puella ita bene habet, ipsasque cicutæ pilulas continenter hucusque assumsit. Nihilominus neque tophi neque scirrhus magis, quam ante octo menses fuerant, imminuti sunt.

Ne quis vero existimet, aliquantum quidem ex ista curatione successisse, quoniam cum succo cicutæ unguentum mercuriale simul adhibitum erat, nunc alia curationum exempla subjungam, quas sola cicuta perfeci.

Vir, 50 annorum, bibulus, turpem latumque lichenem juxta nasum secundum barbam aliquamdiu habuit. Ab eodem vero liber existit, postquam eundem tin-

ctis in cicutæ decocto linteis fovisset; ipsius cicutæ inspissati succi drachmam quotidie assumsisset.

Cæterum duos adhuc infantes curandos habeo; quos vitiati corporis humores male habent, & qui jam aliquam ex cicutæ usu curationis spem ostendunt.

Vir, 30 annos natus, extremas duorum digitorum, & unius pollicis partes cancro exulceratas aliquamdiu habuit. In his enim carnes prætumidæ, dolentes, exulceratæ fœdæque erant, & tenuem saniem, & sæpe sanguinem stillarunt, neque ullam curationem aliquamdiu admiserunt.

Posteaquam æger succi inspissati cicutæ drachmam quotidie assumsisset, ipsosque digitos tinctis in aquam, in qua cicuta cocta prius erat, linteis circumdedisset, post duos menses ex integro convaluit,

valuit, neque ullum deindè digitorum vitium remansit.

In alia epistola ad me data 8. Decemb. 1764 idem doctissimus vir hæc habet:

De quibus ægris anno 1762 dixi, ii omnes ex toto sani integrique hucusque permanserunt: neque ulli horum ex cicuta aut noxa relicta est, aut novum aliquod vitium supervenit.

Hos inter puella illa triennis, de qua eo tempore memoravi, hic iterum, & qua ratione interea valuerit, notatu digna est.

Assumsit enim hæc hucusque pilulas cicutæ quotidie viginti; easdemque assumere continuat, exque his durus glandularum scirrhus, qui infra sinistram alam juxtaque musculum pectoralem erat, ex toto evanuit. Ossium item metatarsi metacarpique tophi: alii per se desierunt,

illæſa cute; alii, qui ulcerati erant, nunc perſanati, bonaque cicatrice clauſi ſunt; neque ex his, niſi unus, levi ulcere adhuc patet.

Quod proxime finem habiturum eſt. Rejecto jam ante duos annos unguento mercuriali; quoniam nullus ex eo profectus erat, etiam ſerpigo juxta auriculam, ulceroſus naſi, & oris labiorum tumor, ipſaque in capillitio tinea (quæ vitia interea temporis ſupervenerant) omnino, & ſine adhibito alio quopiam auxilio deſierunt. Inſuper iſta puella ſtaturam decoram, coloratam cutim, corpus pinguidiuſculum, mentem hilarem, acutumque ingenium accepit.

Quantum hic caſus pro cicutæ utilitate pugnat! quantum probat, hoc

reme-

remedium usu diutissime protracto nullam adferre noxam!

Nunc ad nova curationum experimenta quæ hucusque successerunt, pervenio.

Juvenis, octodecim annorum, strumam ex prætumida glandula thyroidœa habuit, exque ea respirationem difficilem, & cum sonitu; atque ubi corpus motu aliquanto vehementius excitavit, quasi strangulatum iri se habuit.

At posteaquam is tribus continuo mensibus extracti cicutæ drachmam quotidie assumsisset, discussa omnis struma est, secutaque spirandi libertas.

Eodem vitio, & magis inveterato, laborabat juvenis 20 annos natus; obque id spiritum difficulter duxit cum sibilo. Adhibito vero per quatuor menses eodem auxilio, integre convaluit.

Rurſum juvenis, 22 annorum, ſenſim videndi facultatem magis atque magis amiſit, ſic ut metueret, ſe denique omnino cœcum ita futurum eſſe; ob quæ me rogavit, quid auxilii adhibendum eſſet? erant vero oculi ſanorum ſimiles, neque ullum in his vitium deprehendere potui.

Quare juvenem collum denudare juſſi, viſurus num aliquod vitium venas jugulares afficeret, inque his ſanguinis reditum impediret? apparuit tum lata ſtruma, quæ aliquam jugularium venarum portionem amplexa infarctum ſanguinis in capite effecit, exque eo cœcitatem.

Retulit etiam juvenis, ubi montem aut ſcanderet, aut corpus quovis modo velocius agitaret, difficulter ſpirare ſe atque angi.

At

At poſteaquam extracti cicutæ drachmam quotidie in quintum uſque menſem aſſumſiſſet, diſſipata ſtruma eſt, & ſpiritus liber evenit, & acutus viſus.

Aliorum ſtrumas cicuta ex parte, aliorum nequaquam tulit.

Amauroſim vero, quæ orta ex alia cauſa erat, extracto cicutæ per integrum anni ſpatium fruſtra curavi.

Porro cicuta ulcera antiqua, ſi non ſanat, purificat. Sanavit autem plura.

Miles, 30 annorum, ab octo jam annis ulcera magna, profunda, ſordida, & quæ fœdam ſaniem deſtillarunt, juxta tibias habuit, tumidosque ipſos pedes, hæc & quouſque tumidi pedes erant tinctis in aqua, cui incocta cicuta prius erat, linteis foveri, noctu vero linteo carpto cum balſamo arcei impleri juſſi, & ægro

extracti cicutæ drachmam quotidie præstiti. Potui dedi multam aquam, adjecta aliqua portione vini; diætam præcepi & quietem, intereaque alvum aliquoties pharmaco subduxi.

His depurata ulcera sunt, novæque ex his carnes veluti ex recenti vulnere provenerunt. Secutum est largum urinæ profluvium, quod tumorem pedum subtraxit. Accesserunt ex omni parte carnes cutisque, ulceraque post quartum mensem bona firmaque cicatrice clausa sunt.

Vir, 48 annorum, ex antiquo intra thoracem apostemate male habuit, eoque rupto quam plurimum fœdi pessimeque olentis puris sputo rejecit. Huic diætam præcepi, medicamentaque acida, quæ & sputum moverent, & putredini resisterent, præstiti; potui dedi coctas in

aqua

aqua herbas molles adjecto oxymelle scillitico, cumque ex his meliora sputa evenissent, & febris desiisset, lac vaccinum exhibui, & pilulas ex corticis peruviani pulvere cum extracto cicutæ admista terebinthinæ portione.

Hæc sputum & melius effecerunt, & idem emolliverunt, & purgato ulcere cicatricem induxerunt, indeque id, quod læsum erat, integrum evenit, reversaque prospera valetudo est.

Vir, 40 annos natus, propter apostema, quod intra sinistram pulmonis partem habuit, vitiati corporis habitus erat, & febricula, quæ vesperi exarsit, laborabat & noctu insudavit, & pedes tumidos habuit aqua inter cutem; & noctes inquietas egit, & cibos nauseavit, & circum præcordia angebatur, & sublimem

ſpiritum traxit, & rupto dein apoſtemate quam plurimum puris ejecit; huic aquam, in qua decoctæ molles herbæ erant, calide ſorbendam dedi, adjecto nitro, & oxymelle ſcillitico. Præterea mixturam præſtiti, cui & nitrum & oxymel ſquilliticum & gummi amoniacum aceto ſquillitico ſolutum admiſta erant.

Quæ quamplurimum puris longoque tempore continenter emolliverunt, cumque quæ deinde exierunt, ſputa alba, denſa atque tenacia eveniſſent, priora remedia dimiſi; pro his cicutæ pilulas ſubſtitui, & harum drachmam quotidie præſtiti, potui vero dedi corticis peruviani drachmam in aqua coctam, adjecta æqua lactis vaccini portione.

His depuratum ex toto ulcus, cicatriceque clauſum, ex integro perſanatum eſt, æger-

ægerque bene convaluit, multumque jam peregrinatus eſt, proſpera uſus valetudine.

Atque ne quis fortaſſis exiſtimet, ſucceſſiſſe iſtas quidem curationes propter adhibita reliqua auxilia, neque cicutam aliquid ad valetudinem attuliſſe; nunc ſimilem curationem proponam, quam ſola cicuta perfecit.

Puella, 18 annos nata, a duobus ultro annis fœdo pulmonum ulcere laborabat; adverſus quod multa, & diverſa auxilia etiam maxime commendata adhibuit. Aſſumſit etiam per tempus aliquod aquas minerales ſelteranas admiſto lacte: denique diæta lactea utens nil niſi lac vaccinum & bibit, & cum incocto modo pane, modo hordeo, modo oriza cibo ha-

habuit; verum iſta omnia nequaquam profuerunt.

Quare in deſperata hac morbi conditione ſolum extractum cicutæ, rejectis cæteris omnibus pharmacis, ægræ medicinæ dedi.

Inde ſputa & facile prodierunt, & pus bonum evenit, & quotidie minus ſuccrevit, & quo magis tempore progreſſum eſt, eo puris minus, atque minus excretum eſt, tandemque ulcus finito quarto menſe, ex toto ſanatum eſt, puellaque nunc a ſex jam menſibus proſpere valet.

Denique quod extractum cicutæ magnum etiam venereum bubonem fœdaque in pene ulcera, quæ mercurialibus auxiliis pertinaciter reſtiterunt, facile ſuperaverit, excitatoque in his, & bono,

& pauciſſimo pure brevi perſanaverit, ab Illuſtri Principis noſtri Electoris Archiatro *Jacobo Nauheimer*, qui iſtum ægrum curaverat, relatum accepi.

In cutis etiam vitiis cicuta, ut ſupra memoravi, præſidio erat.

Virgo 25 annos nata, duos latos lichenes ſupra malam ſiniſtram ab inferiori oculi palbebra ad oris labia uſque aliquandiu habuit, quos diverſis remediis fruſtra agitaverant.

Erant iſti lichenes fœdi, in quibus exulcerata eroſaque cutis ad paniculum adipoſum uſque eſt, poſteaquam vero ægra tinctis in cicutæ decocto linteis iſtos lichenes continenter foviſſet, quotidie ſucci inſpiſſati cicutæ drachmam aſſumſiſſet, poſt duos menſes convaluit,

tur-

cuturpis iſtius vitii expers, prioremque cutis venuſtatem, relicta tantum, quemadmodum a variolis, levi aliqua fovea, recepit, retinuitque hucuſque, ubi tertius nunc agitur annus.

Puella, 18 annos nata, difficili ſerpigine ſupra manus ſiniſtræ dorſum, juxtaque digitos male habuit; cujus neque cauſam tollere, neque progreſſum ſiſtere potuit medicus perexpertus; invitis omnibus per annum integrum remediis.

Quare ægræ alvum prius pharmaco purgavi, deindeque læſam manum tinctis in cicutæ decocto linteis foveri juſſi; medicinæ vero dedi extracti cicutæ drachmam quotidie.

His intra quatuor menſes depurata cutis eſt, prioremque colorem decoremque

que recepit, retinuitque per duos fere annos, at nunc idem malum recruduit.

Præter hæc iſta puella & tardum & difficilem, & perpaucum fluxum ſanguinis menſtruum olim habuit, a quo vero tempore cicuta uſa eſt, eundem ſanguinis fluxum & facilem & largum, & ordinatum, quandoque etiam ſuperfluum accepit, & nunc habet.

Quare quoniam iſte quidem cicutæ effectus ſingularis mihi videbatur, etiam aliis puellis, quæ difficulter menſtruatæ ſunt, neque quam ob cauſam ita eſſent, cognoſcere poteram, cicutam medicinæ dedi, quæ ſæpe etiam juvit, & iſtum ſanguinis fluxum perfecit.

Diligentiſſimus, ac expertiſſimus Joſephus *Polzer*, Schönbergæ in Moravia phyſicus, hæc notat.

Vir,

Vir, 46 annorum, ex inordinato vitæ genere maxime hauſtu ſpirituoſo incidit in obſtructiones ſcirrhoſas infimi ventris, qui non ſolum inſtar tympani monſtroſe tenſus, & reſonans, ſed & lapidis inſtar durus erat, & reſpirationem poſt paulo fortiorem motum impedivit, ſomnum inquietum reddidit, omnemque appetitum delevit.

Fruſtra ab aliis adhibitis variis medicamentis, uſu pil. de cicuta, interpoſitis laxantibus, ex rhabarb. cum ſale polychreſto, & emplaſtro de cicuta ſpatio 3 menſium cum omnium admiratione curatus eſt.

Vir, 56 annorum, tuberculum in naſo per aliquot annos geſſit, quod lympham acrem plorando vicinas partes eroſit, ulterius verſus oculum ſiniſtrum ſerp-

serpsit, malignæ erat indolis, & fœdum ulcus formavit.

Adhibitis pilulis de cicuta, & externe solo applicato infuso cum linteis carptis, brevi pus coctum apparuit, & post aliquot menses sine omni difformitate malum totum ablatum est, jam per biennium vulnus clausum perseverat.

Vir, septuagenario major, podagricus, ultra 10 annos tuberculum exiguum versus nasum, & oculum sinistrum, sine magno incommodo, habuit, subinde lympham acrem stillavit, subinde crusta tectum, consolidatum videbatur. Hujus rei pertæsus, & ab imperitis persuasus, varia interna & externa applicuit.

Cura salivationis totus emaciatus & cachecticus factus, eo cum effectu, ut ulcus vere cancrosum nasum & oculum

occupaverit, quem fere totum cum fœtore exesit.

Adhibitis per septem menses, pilulis de cicuta & fomentis rediit color faciei roseus, vividus, mentis alacritas, omnesque corporis vires.

Paroxysmus podagricus hucusque siluit, & vulnus ita emendatum est, ut jam limites cancro positi sint, si usum continuaverit, spero eum ex integro restituendum.

Vir, 40 aliquot annorum, in hypochondrio sinistro, ultra annum, tumorem vere scirrhosum, lapidis instar durum, cum ingenti extensione tympanitica totius abdominis habuit.

Adhibitis multis, & variis medicamentis sine omni effectu, usu pil. de cicuta emplastro eodem, interpositis laxantibus,

tibus, ſpatio duorum menſium integerrime reſtitutus eſt.

Fœmina, 48 annorum, ex ſolo defectu menſium ſe putans gravidam, donec decimo menſe acceſſerit hydrops, & plures obſervarentur tumores diverſæ magnitudinis in abdomine, præſertim unus vere ſcirrhoſus, pugno virili major, qui circa ovarium ſiniſtrum hærebat.

Adhibitis pilulis de cicuta, & interpoſitis purgantibus, nec non dato pulvere de extracto aconiti, & ſaccharo, qui in defectu pilularum de cicuta ſubſtituebatur, ſucceſſive omnes tumores reſoluti ſunt, ſpatio novem menſium, & diſparuit hydrops. Citius hæc curatio ſucceſſiſſet, ſed propter diſtantiam loci aliquoties interrumpebatur.

Fluxus menſtruus debito tempore & ordine ſub ipſa adhuc cura comparuit, & hucuſque in annum ſecundum debito modo perdurat.

Bene appetit, digerit, & functiones naturales peragit, hæc fœmina ab omnibus pro perdita jam habita eſt.

Fœmina, 40 aliquot annorum, a longo tempore variis ſymptomatibus hyſtericis, & fluore albo uterino cum tumore ſcirrhoſo circa ovarium ſiniſtrum, pugni virilis inſtar, vexata eſt.

Adhibito pulvere de extracto aconiti cum ſaccharo, & infuſo cicutæ, cui addebatur quarta pars lactis, & appoſito emplaſtro de cicuta poſt ſex ſeptimanas integerrime curata eſt.

Puella, 9 annorum, fœdiſſimis puſtulis mediam faciem inferiorem occupantibus,

tibus, præſertim naſum internum, & externum, nec non labia oris, cum dolorifica tenſione, duritie, & inflammatione patiebatur plurimum, & ita erat turpis, ut omnes conſortium ejus fugerint, putantes a malo venereo originem trahere.

Hæc ſpatio aliquot ſeptimanarum, ſolo uſu pil. de cicuta, & fomento, & lotu ex cicuta parato ex integro curata eſt.

Virgo, 19 annorum, a nativitate ſemper valetudinaria mox glandulas colli, mox parotides, mox ſubaxillares geſſit tumidas & induratas.

Tota triſtis, moroſa & melancholica. Accedente fluxu menſtruo inordinato, ſubinde media facies cum oculo dextro inflammabatur, ſubinde uterque oculus af-

ficiebatur ita, ut de visu recuperando sæpe dubitaretur.

Nasus turpissimis pustulis interne, & externe obsidebatur; sensim etiam in manibus, & pedibus circa articulos, nec non infimo ventre tumores scirrhosi observabantur; in facie, & collo hi tumores tandem exulcerati sunt, & nil nisi acrem ichorem fuderunt.

In tali rerum facie consilium ægra a me petiit.

Ordinavi pulverem de extracto aconiti & saccharo cum sero lactis, his usa est ultra medium annum sine effectu.

Suasi dein, ut illa extractum de cicuta sumeret cum infuso florum sambuci, quibus in quintum mensem eo cum effectu utitur, ut tumores omnes resoluti sint, ulcera consolidata, excepto unico, quod

nunc

nunc etiam ad consolidationem vergit, ita, ut spes sit integerrimæ restitutionis.

Menstrua nunc ordinate fluunt. Totus corporis habitus emendatus est, color faciei vividus, tota hilaris, jucunda & læta est.

In doloribus arthriticis, & rheumaticis etiam chronicis ab aconito, & cicuta ut plurimum optatum inveni effectum.

Eruditissimus Petrus *Poltzer* copiarum tormentariarum Medicus, cui multas gratias debeo, cum mihi plurimum adstiterit, curamque mei gesserit in morbo, quo Francofurti decubui, hæc scribit.

Vidua, 36. annorum, cum Decemb. mense anni 1762. ex vico mecum in urbem reverteretur, post familiares sermones me consuluit, atque a multis retro annis se in mamma sinistra tumorem par-

vum, ſed durum geſtaſſe narrat, qui ab aliquo tempore non mole modo auctus, ſed & dolorificus factus eſt. Diſpiciens locum vidi futuri proxime exulcerati cancri limites; ſuadenti cicutam in pilulis morem non geſſit; ego vero iter plus 20 milliarium facere juſſus non niſi poſt medii menſis ſpatium in eam urbem redivi; vix meum adventum percepit, cum me rogaret, ut eam inviſerem, detegens cancroſam in inferiori parte mammæ ſiniſtræ prominentiam, ad quatuor digitos dependentem ultra mammæ limites, & ſuperius tres fere digitos craſſam, ad coni formam ſe extenuantem, fœdiſſimum tunc odorem ſparſit, conſului cum chirurgis, quomodo aufferenda eſſet hæc maſſa; plurium votum, ut cultro auferatur, reſpuens ægra inane fecit,

cit, ſed filo tumorem ſucceſſive arctanti locum conceſſit; intelligens tunc, quod pilulas reſpuat, exhibui cicutam forma mixturæ, & prominentiam fœdiſſimam cicutæ fomento involvi juſſi, filum tumori circumpoſitum indies arctabatur, & decem dierum ſpatio tumoris pars filo intercepta cecidit, poſt aliquot dies fœtor quoque mitigabatur, & quies, quæ prolium, & ægræ luctu, atque vitæ deſperatione tota fuit ablata, redivit cum auctis non nihil viribus, indies fomento atque interne ſumpta mixtura, & interpoſitis quibusque decem diebus leni laxante ſpes reconvaleſcentiæ crevit, cum ſymptomatum diminutione, ita, ut commode jam muniis domeſticis præeſſet; verum magnam tumoris partem, quæ filo capi atque auferri non potuit, nec

cute tegi, nec cicatrice obduci, egregius chirurgus lapide infernali tentandam rogavit, aſt ſuaſi fomentationem continuandam, nolens irritante acri tangere locum, interim vix videbatur diminui aliquamdiu, etſi pus multis locis ſat bonum prodiret, igitur inſcio me, ægræ precibus permotus id fecit; quamvis autem noxæ nihil accidiſſe viderim, tamen ad vota non promovit conſolidationem, ſed ſuppuratione ſucceſſiva, & ſubinde ſeroſi liquidi profluentis rivo partes cancroſæ ita ſeparatæ ſunt, ut ulcus purum ad crucigeri latitudinem apertum, cum locum eum relinquerem, eſſet idque perſanandum perito in vicinia chirurgo traderem, qui paucos poſt menſes ſanatam ægram mihi retulit.

Alia fœmina, 30 circiter annorum, ſanguinea poſt puerperium abſolutum, nec octo diebus ab aëre libero ſe continuit, verum iter 18 milliarium ſuſcepit, in eo incidit in dolorem mammæ, qui utcumque perſanatus eſt, verum ſenſit intra mammam ad coſtas aliquem duriuſculum tumorem, qui quam plurimis tentatus, nulli ceſſit remedio, e contra augebatur ſemper a mamma dextra media circiter verſus ſiniſtram, & ſub ea anno 1763 ſerpebat verſus axillam ſiniſtram, ſed inferiori loco; vere adveniente ultro ſerpere nec non ultro dolorificus eſſe tumor cœpit; me conſulenti mox propoſui uſum cicutæ forma pilularum, quem aſſiduo quidem continuavit, verum alios etiam hinc inde medicos, & chirurgos conſuluit,

me-

metuens futurum cancrum. Accepit idem a pluribus consilium, proinde usum remedii tanto alacrius continuavit, tandem sensit duritiem tumoris mollescere & fluctuationem. Noctu circiter ad decimam Julii pustula formata est, & dehinc effluxit insignis materiæ, & saniei copia; territa phænomeno eum in locum venit, quem habitabam, ut continuo adessem. Inquirens rei statum vidi ex duro tumore natum abscessum, materiamque fluctuare, a dextra mamma, quantum experiri licuit, atque in sinistram, descendendo transversim sternum, prout olim tumor decurrebat; cataplasmata emollientia cum juncta cicuta sedulo per diem applicuit, noctu vero ejus emplastrum apposuit; altera die anxia pronunciavit se esse gravidam,

ro-

rogavitque, num hæc remedia forte fœtui nocerent, quod cum negarem, omnia, quæ ex arte accidere deberent, patienter ſe laturam promiſit, & quoniam pus fere fluctuans percepimus, inciſio facta fuit ad locum, in quo nuper ſponte ſua ichor purulentus exivit, ſed cum hæc altior eſſet, altera fiebat loco, quo fieri potuit infimo, tum ingens quantitas materiæ prodivit una cum ichore, ſed non adeo fœtido; ex cicutæ decocto & ejuſdem extracto in eo ſoluto, & melle quotidie fuit facta injectio, interne ſedulo continuavit in uſu pilularum, atque his minus quam duorum menſium ſpatio integram ſanitatem recepit, & juſto tempore vegetam filiam peperit, quæ etiamnum perpeſſos matris dolores lenit.

Alia

Alia vidua, 56 annorum circiter, misero manuum opere multasque inter familiæ ærumnas dextram mammam longo tempore duram gessit, cumque rubere inciperet magis, & dolore, consultus suasi usum cicutæ internum, externumque, verum ob egestatem forte diu non continuavit, nam eum in locum tunc raro perveniebam. Postero anno ob dolores diu noctuque molestissimos cum se mihi rursus videndam præberet, conspexi in macilenta anu fœdissimum mammæ cancrum in dextro latere. Chirurgum tunc nostrarum copiarum, qui eo loco morabatur, rogavi, ut sedulam ejus curam gereret, usu cicutæ omnia videbantur emendari, subinde fluxus ichorosos sanguine mixtos passa spem curæ fecit, ast tandem insomnes noctes,

&

& dolorosas cum spiritus vini haustu vellet habere quietiores, obiit misera, dum jam multam remedii efficaciam antea comprobasset. In tumoribus, qui colli & maxillæ inferioris glandulas obsident, apud pueros, & juvenes vix unquam me fefellisse, memini usum cicutæ, quin etiam vermes quandoque plurimos exterminatos vidi, & ulcerum chronicorum, & tineæ capitis, quorum alias consolidatio difficilis, & suspecta habebatur, pulcherrime persanata lætus recordor.

Doctissimus Thaddæus *Bajer* Medicus castrensis hæc habet:

Herbam cicutæ recentem cum integro succo conscissam æquali mellis quantitate citra omnem coctionem reduci jussi

in

in conſervam, guſtanti inde pauculum nil inſoliti accidit.

Quare ſtatui conſervæ hujus uſum me facturum in quinque ægris, duobus toto fere corpore ulceroſis, tribus fœdis pedum ulceribus afflictis, quos noſocomium militare tunc mihi exhibuit.

Sepoſito itaque omni alio tam interno, quam externo remedio, conſervæ drachmam dimidiam bis de die, cum demum nihil inſoliti illis accidere viderem, integram drachmam pro doſi bis de die, tum demum ter de die deglutiendam propinavi.

Interim ulcera decocto cicutæ, recentis lavari juſſi.

In primis protinus diebus ulcera bonum dare pus, tum ſiccari, conſolidari: citra

citra ſpem pauco tempore ſunt omnes ſanati.

Doctiſſimus *Haan*: cicuta perfecte curavi narium cancrum, & ſcirrhum ventriculi delevi, & caret nunc ægra vomitu, qui prius erat frequentiſſimus. In aliis quoque indurationibus cicutam exhibui, quibuſdam opem attulit, aliis malum intactum reliquit.

Aconito hominem curavi, qui arthritide ſcorbutica laboravit tribus annis, & pes unus erat rigidus.

Plura tibi narrarem de cicutæ uſu, verum hoc medicamentum adeo apud nos inique eſt proclamatum, ut non niſi furtim illud applicari poſſit.

Dominus *Hart* expertus, & diligens chirurgus:

Famulo, quartana febre diu laboranti, glandulæ ſubmaxillares dextræ intumuerunt, & ſcirrhoſæ factæ ſunt, tumor erat pugno virili major, & æque durus, ac lapis, ſeque extendit uſque poſt aurem ejuſdem lateris.

Plurima tentata remedia nil juverunt, & febris toties ſuppreſſa iterum recruduit.

Uſu autem interno externoque cicutæ tumor magnus in plura minora tubercula ab initio dividebatur, dein in ſuppurationem ſpatio duodecim dierum abiit. Facta apertura ultra libram boni puris effluxit.

Vulnus remedio digeſtivo deligavi, & in ſaccum feci injectiones ex decocto cicutæ, ejus extracto, & melle roſarum,

rum, interno uſu cicutæ continuatum fuit.

His ſpatio quatuor ſeptimanarum æger integre ſanatus fuit, & a febre, quæ aliis remediis non obedivit, perfecte liberatus, ita, ut nunc bonum habeat colorem (alias erat cachecticus) & vires adeo magnas, ut officio ſuo ſtabulario optime fungatur.

Magnificus Dominus *Humelauer* toti huic curæ adſtitit, eamque exacte obſervavit.

Doctiſſimus ac ſolertiſſimus Dominus *Marckmüller* phyſicus Cæſareo-Regius in Laxemburg.

Filia hortulani, 16 annos nata, dum ab omnibus ob parvitatem ſtaturæ pro ſeptenni habebatur, a prima ætate abdomen lapidis inſtar durum gerebat.

Dederunt ideo ſæpius purgantia fortia, quibus corpus extenuatum, & magna cachexia inducta eſt. Pater me conſulit; dedi cicutam, jubens, ut vellet ægra per aliquot menſes continuare.

Brevi melius ſe habuit, & appetitus, qui a primo cicutæ uſu multum inſurgebat, manſit ſemper bonus, durities abdominis emolliebatur, & tertio menſe color cachecticus faciei mutabatur in vividum.

Plus intra tres menſes corpore increvit, quam antea per tres annos.

Sartor, poſt febrem intermittentem ſicca tuſſi, nocturno ſudore, œdemate pedum, & tumido abdomine laborans uſu cicutæ intra bimeſtre ſpatium liberatus eſt, omni ex parte modo ſanus.

Faber

Faber ferrarius lue venerea ita laboravit, ut a vertice ad calcem usque unum quasi condyloma fuerit, ab omnibus civibus, ut peste infectus fugiebatur, lecto dein affixus, ejulatu domum & viciniam implevit, mercurialia & ab aliis & a me data sunt, sed sine effectu. His substitui solam cicutam, mirum! post octiduum omni dolorum cruciatu liber, & post mensem curatis condylomatibus templum ingressus omnibus miraculo fuit.

Juvenis, 19 annorum, neglecta, & pessima gonorrhœa laboravit, cicuta intra 14 dies curabatur.

Alius gonorrhœa laborans, & testiculo venereo & condylomatibus, datis cicutæ unciis duabus brevi sanatus est.

Mulier, & gonorrhœa & condylomatibus affecta, quæ non ſolum in pudendis, ſed facie & reliquo corpore comparebant, ſesqui menſis ſpatio eodem cicutæ extracto reſtituta eſt.

Filiolus hortulani, ſeptennis, ab incontinentia urinæ & tumido abdomine drachmis duabus cicutæ liberatus eſt.

Tres alii infantes tumido abdomine partim ex febre intermittente, partim ex eſu nimio atri panis affecti, brevi, & pauca quantitate cicutæ ſanati ſunt.

Hortulanus, arthritide, & iſchiatico malo diu vexabatur. Cicutæ primum vaga arthritis, dein & iſchiaticus dolor ceſſit.

Hujus viri urinæ per duos menſes & ultra, quotidie copioſiſſimum mate-

riæ

riæ mucosæ, glutinosæ sedimentum gerebant.

Filia molitoris, a pluribus annis pessimo ulcere, & fistula profunda ad femur dextrum laboravit. Parentes de cura filiæ desperabant, cum jam peritissimi medici innumera incassum tentassent. Dedi cicutæ extractum, & intra mensem solo interno usu optime ulcus claudebatur, & fistula, & tres menses sunt, a quibus clauso ulcere optime sana est.

Ancilla, 54 annorum, hydrope pectoris, & cachexia laborans, servitio præesse non potuit. Data cicuta omnia hæc mala lente quidem ita emendata sunt, ut sua domestica obire nunc perfecte valeat, & quamvis jam sana sibi videatur, jubeo tamen, ut per aliquod tempus usui pilularum insistat.

Famulæ ſubito oriebantur ſub mamma dextra innumeræ veſiculæ, acri ichore flavo multum elevatæ, magnitudine piſi, quæ ad vertebras dorſi inſtar zonæ tres digitos latæ ſe extendebant. Hæ veſiculæ tam acerbe dolebant, ut febre prehenderetur, deliraret, & violentam ſibi manum præ intolerabili dolore vellet inferre. Facta venæſectione exhibeo decoctum hordei mellitum, & mixturam cum extracto cicutæ, & externe applicui cataplaſma ex floribus ſambuci & herba cicutæ, cum aqua & lacte paratum, ruptis veſiculis diſparuit febris, & dolor; ſequebatur bona ſuppuratio, & cutis brevi pulchra cicatrice claudebatur.

Fœminæ in puerperio ex aëre frigido imprudenter admiſſo mamma dex-

tra tumet, quæ impoſito emplaſtro de galbano, & ſpermate ceti rumpitur, magna copia boni puris exit, reliqua autem pars mammæ duriſſima manet, impoſito licet emollientiſſimo cataplaſmate, quin apertura ſponte coaluit, manente in ſuperiore parte ſumma duritie. Emplaſtro de cicuta applicato, & data uncia extracti cicutæ intra ſex ſeptimanas omnis durities fuſa eſt, & mamma naturalem mollitiem recuperavit.

Ruſticus media hyeme anaſarca laboravit. Hunc uſu cicutæ brevi curavi. Dedi quotidie grana viginti extracti cicutæ, & prodiit urina copioſiſſima.

Vetula gravi peripneumonia prehenditur. Toto morbi tempore nihil materiæ morboſæ evacuatum eſt, licet optima expectorantia emollientibus jun-

xerim. Morbus tamen 14 die omnibus curatus, mihi vero recidiva, vel alius morbus timendus, videbatur. 17 die ſub veſperas calorem, & ſitim augeri ſumma cum debilitate obſervatum eſt, idque per duos inſequentes dies. Vocatus dein & ob progreſſam ætatem, & morbum prægreſſum prognoſin non bonam feci. Animus erat tentandi, quid cicuta faceret, qua materies morboſa, a morbo acuto ſuperſtes, & in ſanguine oberrans, quæ jamiam febrem hecticam accenſum iret, ex ſanguine eliminarem. Dedi ergo mane & veſpere quinque cicutæ grana, & quinto die invenio lætam ſeniculam extra lectum, ſummo appetitu comedentem. Affirmabat mihi, ſe per biduum circa veſperas nec calere, nec ſitire ut ante; meo conſilio eandem

doſin

dosin per aliquos dies continuavit, & nunc optime sana est.

Civi jam duæ proles variolis ereptæ erant, & nunc puellam nondum annum natam decimo septimo die morbi variolosi morti proximam videt.

Incipit & alia puella triennis, quæ ultima est, febricitare. Vocor, & hanc variolis laboraturam dico: suadeo pedum balnea, enemata, præscribo antiphlogistica; tunc narrabat pater, omnes suas proles decimo, vel undecimo die abscessus habuisse, quibus consumptæ interivissent, ut manifeste videre erat in altera moribunda; etenim in utraque cubiti articulatione erant cavi sinus in ipsam capsam articularem penetrantes, tangendo strepitus audiebatur, & materia alba limpida granula ossea continebat; qua

puella

puella etiam brevi exſtincta fuit. In altera, ad quam vocabar, puella die quarto comparuere variolæ, quinto plures. Dato diacodio pulchre quidem elevabantur, & variolis diſcretis adnumerari merebantur, ſub finem ſexti diei nihilominus multæ ſubſidebant. Puella, quæ hucuſque ſat bene ſe habuit, magis ægrotabat; & videbatur imminere periculum.

Tentavi tunc cicutam & dedi primo die tria extracti grana, altero ſex, & tertio octo.

Sic omnia mutabantur in melius, puella fiebat alacrior, larga urina fluxit, & morbus finiebatur feliciter.

Dedi dein adhuc per 14 dies quotidie grana decem extracti, nec ullo purgante opus fuit, & etiam macula

alba,

alba, quæ a variolis in oculo dextro nafcebatur, ufu cicutæ ablata fuit.

Hanc puellam nuper poft tres menfes faniffimam & formofam vidi.

Puella, quinque annorum, fubito convulfiones patitur, & prodeunt ex ano tres lumbrici. Vocatus dedi cicutam cum melle inftar linctus, & excernebantur cum multa alvo fenfim fedecim lumbrici.

Et nunc puella bene valet.

Fœminam, 28 annorum, peffimo, & omnibus ufitatis remediis refiftente hydrope laborantem, oxymelle colchico feliciter reftitui.

Puellam, 14 annorum, toto corpore & facie aquofo tumore inflatam & monftrofam, quam quoque alia fortiffima remedia non juvabant, eodem oxy-

melle

melle colchico, & frictionibus aromaticis persanavi.

Hoc eodem remedio fœminam sexagenariam, quæ pessimo ventris hydrope jam per plures annos detenta fuit, restitui.

Anno elapso Leopoldstorffii septem infantes, & hoc anno tres Laxemburgi curavi oxymellis colchici pauca quantitate, omnes absque ullo prægresso morbo toto corpore intumuerunt, & erat aqua intra cutem.

Fœmina septuagenaria apoplectica stuporem habuit in utroque brachio, & digiti erant omnes rigidi, &, dum volebat illos movere, dolorem ingentem sensit.

Externa internaque remedia per multos menses applicata nullum levamen

ad-

adtulerunt, tandem datum aconiti extractum cum ſaccharo digitis, & brachiis liberam mobilitatem reſtituit, & vetula bene habet.

Vir, 32 annorum, menſe Novembri caſu aliquo in aqua fluviali ad lumbos uſque ultra ſemihoram manere, ſimulque pondus currus vino onuſti fulcri inſtar ſuſtinere debuit.

Eodem die domum veniens per vices frigere, & calere cœpit. Altero die chirurgum, qui ipſi venam ſecaret, vocari juſſit. Cum ſanguis adhuc e vena flueret, toto corpore, excepto capite fiebat immobilis, dolores ſimul atrociſſimos cum perpetuo frigore ſentiebat.

Fomentis calidis, ſiccis frigus moderari, motum membrorum reſtituere,

&

& dolores ſedare fruſtra tentabant, imo reddebant eos atrociores.

Sexto die a celebrata venæ ſectione vocatus inveni pulſum, reſpirationem, calorem totius corporis naturalem, mens ægri non erat dejecta, color faciei ſaniſſimus, appetitus vigens, & ſitis nulla.

Conquerebatur autem de continuo frigore, & ſæviſſimo dolore totius corporis, ſolum caput erat liberum, cæterum vix ſuſtinuit præ dolore manum, pulſum explorantis, nec ipſe cibum, vel potum ſumere valuit, ſed omni hora, per ſubſtrata lintea, loco moveri debuit.

Præſcripſi infuſum leniter aromaticum, ut omni hora duo vaſcula ſumeret.

Poſt

Poſt biduum loco levaminis dolores erant majores, & tumor durus in omnibus articulis deprehendebatur.

Ordinavi aquæ laxativæ uncias ſeptem, ut omni hora duo cochlearia ſumeret, & poſtea infuſum præſcriptum continuaret, & quarto die vidi ægrum in eodem ſtatu, licet decies alvum depoſuerit.

Subſtitui validiora diaphoretica ſine ullo levamine.

Sexto die veſicatoria, quæ lentorem humorum in membranis tendinoſis ſtagnantium ſolverent, morte ipſa magis recuſavit, dolore aliunde plenus.

Poſtea per quatuordecim dies manſit ſine meo conſilio, dum interea muliercularum ſuaſu unguenta, & ſpiritus,

quibus inungebatur, aliaque magis ſtimulantia interna adhibebantur.

Denuo vocatus exhibui extractum aconiti cum ſaccharo, quod tamen, ut omnia medicamenta in forma ſicca reſpuebat.

Hinc eundem pulverem in mixtura exhibui, cujus drachmas duas uni libræ aquæ addidi, & omni quadrihorio duo cochlearia dari juſſi, de nocte autem nihil ſumſit.

Poſt quatuor dies loco tranſpirationis vidi urinam flocculentam in ſatis magna quantitate.

Hinc mixtura repetita fuit, omni trihorio vero duo cochlearia aſſumpta ſunt.

Tumor in articulis diſparere, & dolor de die tolerabilior fieri cœpit, noctu vero ſemper exacerbatus eſt.

Eo-

Eodem remedio continuatum fuit, quo poſt quatuordecim dies omnis tumor evanuit, dolor multum remiſit, & æger cibum, potumque, qui prius per cuſtodes dari debuit, ipſe ſumere potuit.

Interea nulla perſpiratio obſervabatur, ſed urina craſſa continuo manſit.

Quare, ut ſimul evacuatio per peripheriam corporis fieret, juſſi balneum, quod domi parari debuit, & ſimul eadem doſi mixturam ſumeret, quibus intra octiduum tantum lucrabatur, ut auxilio alicujus famuli in cubiculo aliquoties obambulare pouerit.

Curam vero acceleraturus, me invito, & aliorum conſilio ſumma hyeme, & maximo frigore balneum baadenſe adivit.

Brevi vero neglecti mei conſilii pœnituit, cum in ipſo balneo idem frigus,

eosque atrocissimos dolores cum immobilitate totius corporis persenserit.

Vocatus consului, ut domum repeteret, & denuo pulverem de extracto aconiti & saccharo continuaret.

Secutus meum consilium integre curatus est.

Falconarius rheumatismis diuturnioribus denique arthritide vaga laborans plura medicamenta interna, & externa frustra sumsit; postquam vero per mensem pulvere ex saccharo, & aconiti extracto usus fuit, suis doloribus arthriticis integre liberabatur.

Post quatuor dies ab assumpto hoc remedio calidum madorem persentiebat cum levitate omnium membrorum.

Mane & vesperi sumsit quindecim grana.

In

In tribus monaſteriis plures Reverendi patres arthritide vaga & fixa laborarunt, nec ab ullo medicamento citius, & conſtantius levamen habuerunt, ac poſt uſum hujus pulveris.

Ex illis vir, octuagenarius, qui plures provincias viſitando hunc morbum contraxit, pro animi ſui candore mihi ſæpius affirmat, ſe a multis annis non ita agilem ac poſt aſſumptum hoc remedium fuiſſe.

Plures caſus de virtute hyoſciami referre poſſem: unum duntaxat, quem a paucis diebus magna animi lætitia obſervavi, narrare ſufficiet.

Nobilis, ſed pauperrima vidua Feſendorffii, tempore humidiſſimo pedes iter in urbem fecerat.

Ex hac redux in ipſa via ſanguinem ſæpius vomuit.

Domum veniens illo die convulſiones toto corpore, quæ vix per horas remiſerunt, habuit una cum atrociſſimo dolore per omnia membra.

Chirurgus facta venæ ſectione, & datis medicamentis ſine effectu, me rogat, vellem ipſam viſitare.

Vigeſima ſecunda Decembris illam vidi, in miſerrimo hoc ſtatu, Præſcripſi:

℞. Extract. Hyoſciami gr. x.

f. pil. gr. j.

S. ut mane & veſpere unam ſumeret, ſuperbibendo infuſum leviter aromaticum.

26. Decemb. denuo illam vidi, & magno ſolatio mihi narravit, quod poſt primam pilulam aliquos tantum inſultus convulſionum, altero autem die præter debilitatem,

tem, & ſenſum frigoris in artubus per vices repetentem nihil advertiſſet.

Et ab illo die ſe placide dormiviſſe, & alvum bis de die, quæ prius rara fuerat, habuiſſe, & nunc ſe appetere, & in omnibus ſe bene habere.

Magnificus ac doctiſſimus ſereniſſimi Archiducis LEOPOLDI Archiater Dominus *Krapf*, qui Tergeſtini per plures annos praxim medicam feliciter & magna cum laude exercuit circa cicutam hæc obſervata præcipua habet.

Obſervavi primo: quod efficacior virtus ſit in illa, quæ in locis umbroſis agri Tergeſtini creſcit, quam quæ in aëre aperto habitat, & tota die ſolis præſertim meridiani radiis expoſita eſt; & hæc eſt ratio quare cicuta juſtinopoli maxima copia creſcens extra mœnia urbis in loco

aperto ſole diurno perpetuo irradiata vix unquam perceptibilem mihi præſtiterit effectum, dum ex adverſo cicuta Lipizæ, præſtantiſſimo imperiali equitio & ubique in carſtio in locis terra uliginoſa refertis, humidiuſculis & æterna fere umbra obſcuris collecta longe acutiori viroſo odore pollet, & ſæpe cito deſperatiſſimos morbos tollit.

Quam cauſam cum in principio, quo cicuta uti cœpi, ignorarem, mirabar ſæpe, cur in morbo, qui cicuta, in locis umbroſis collecta, tractatus cito notabiliter minuebatur, adhibita poſtea ex hujus defectu illa, quam Juſtinopoli Pharmacopœi me ſuadente colligebant, quia facilius minorique pretio haberi poſſet, cura quam lentiſſime procederet, imo non raro denuo morbus increſceret.

Se-

Secundo: obſervavi quoque, quo calidior aër eſt, eo efficacia cicutæ minor, hinc cicuta in carniola ob altitudinem ſoli notabiliſſimam & hinc frigidius cœlum melior illa, quæ in vallibus tergeſtinis creſcit, forte & alia ratio ſubeſt minus mihi cognita, & a differentia climatis pendens: exemplum habeo a radice ſeu bulbo colchici, qui in multis regionibus venenatus deprehenditur, in Carniolia tamen, & agro tergeſtino hominibus innocua planta, ita ut bulbos integros recentiſſimos autumno, dum floret, comederim, neque præter ingratum amarorem ullam in functionibus ſive vitalibus ſive animalibus ſive denique naturalibus alterationem detegere potuerim, quamvis ad omnia attentiſſimus.

Tertio: penetrantiores ſunt vires, & promptior effectus in recenti ſucco per

linteum expreſſo; juſculo vel & potui theato admiſto & illico hauſto, quam in extracto præſertim negligenti encheireſi præparato. Nam ratio hujus diverſitatis pendere videtur a majori copia difflati ſpiritus illius viroſi per inſpiſſationem ope ignis in formam extracti, quam ſi ex contuſa herba expreſſus ſuccus ab igne non mutatus illico hauriatur, docet id minus viroſus odor in extracto quam in infuſo vel expreſſo ſucco, ad quem minuendum, cum multis valde ingratus ſit, addere ſolebam, vel elæoſacchar: citri vel ſyrupum cortic. citri ſi forma thee ſumeret, quibus vero cum Juſculo præplacebat, tunc parum pulveris cinnamoni, macis & aliquid ſalis miſcebam, & ſic utcunque gratum aliter nauſeoſum reddebam remedium.

Quar-

Quarto: extractum recens & parva paratum copia efficacius veteri & in magna copia parati, idem & obſervavi in extracto quod verno tempore paratur, quod ſemper penetrantius illo, quod ex planta jam adulta & æſtivis fit menſibus. Hinc effectus hyeme tardiores vidi quam verno tempore, & dum nonnunquam fruſtra ægrum ad nauſeam implevi cicutæ extracto hyeme, paucis veris diebus effeci plus, quam antea per menſes.

Quinto: minoribus viribus pollens obſervavi etiam extractum, quod ex herba una cum caulibus adultioribus & jam fere exſuccis fieri ſolet a pharmacopœis, qui promiſcue omnia contundunt vel ideo tantum, ut majori copia acquirant extractum, quam ubi a ramis minoribus nonniſi vel tenella adhuc paratur herba.

Sex-

Sexto: præterea inutile eſt extractum & fere effœtum, quod parant negligentes pharmacopœi ex cicuta in cumulos congeſta & tribus, quatuor, pluribusve diebus in loco humido, ne exſiccetur, relicta, ubi fere jam putreſcere incipit, & flavo colore inſici herba, quod corruptionis ſignum.

Septimo: nullum unquam ſiniſtrum ex uſu cicutæ habui effectum, quamvis in ea adhibenda potius exceſſu quam defectu doſeos uſus fuerim. Sic ſæpe pertinaciter inſiſtendo uſui, & augendo cum prudentia doſim curavi mala, quæ ipſemet jam ut deſperata relinquere ſtatueram. Pro una doſi ſucci recentis ſæpe tres manipulos herbæ contundi jubebam, & ter, quandoque quater in pertinaciſſimis morbis adhibebam ſemper tamen attentus, quæ mutatio fieret in corpore.

Octa-

Octavo: decocto cicutæ in vase clauso & per canulam plus minus longam vapore ejus excepto & loco affecto immediate applicato pulcherrimos vidi effectus in scirrhosis mammarum tumoribus, glandulis subaxillaribus induratissimis, scirrhosa uteri præsertim orificii ejus duritie jam carcinomatosa.

De interno usu quasdam historias addo.

Domina N. multarum prolium mater ante duos annos laboravit in parte laterali regionis hypogastricæ tumore profunde sito ad pugni magnitudinem, tactu satis facile perceptibilem, cum gracilis esset ægra, & flaccidum haberet ventrem, tumor hic jam a quatuor mensibus crevit, tactu mobilis fuit, & nunc jam dolere ita incipit, ut ægra vix corporis trun-

cum

cum flectere ſine moleſtia valeat, libera tamen eſt alvi & urinæ excretio, menſesque bene fluunt. Uſa eſt per duos menſes extracti recentis notabili quotidie doſi, ſenſim aucta, & interpolatis vicibus ſucco cum juſculo carnium & ſic integre evanuit tumor. Externe ſolum emplaſtrum de cicuta applicatum fuit, non ut exinde effectum ſperarem, ſed ut ægræ ſatis facerem, id roganti.

Bibliopolæ uxor die 23 Septembris 1762 abſque omni manifeſta prægreſſa cauſa afficitur vomitu cruento ea vehementia, ut a copia nimia ſanguinis fruſtulatim rejecti, quo tota matula urinaria implebatur, in ſyncopen incideret, atque ab omnibus mortua crederetur, cum revera mortuum pallori faciei, frigore totius corporis &c. referret. Rediit tamen

ſuc-

fucceffive ad fe applicatis a me, quæ congrue judicaveram, rediit aliquoties hic vomitus minori tamen fanguinis rejecta copia, fed femper grumofi, ceffavit poftea vomitus, fed eum excepit dolor hypochondrii finiftri tam vehemens, ut infpirare non auderet, & fe pleuritide laborare conftanter affereret, pulfus tamen erat valde tardus & ita debilis, ut parumper fortius appreffis digitis non perciperetur.

Menfis fpatio perfeverabat dolor abfque omni remiffione, imo potius fe magis dilatabat, variis quamvis remediis incaffum adhibitis, cicutæ extractum, cum fuccum ægra refpueret, forma pilularum exhibui, a cujus ufu jam poft 14 dies levamen fenfit, & inter 5 feptimanas feliciter eft curata.

Græ-

Græci cujuſdam mercatoris uxor poſt partum felicem ſatis, quarto puerpuerii die percipit tumorem durum ſubito exortum & dolentem ſubcutaneum in regione inguinali ſiniſtra, neſcio quibus rebus a quodam anu græca applicatis diſparet tumor, & ejus loco incipit tumere crus a taleolis ad genu uſque cum dolore & rubore, applicantur varia ad hunc tumorem diſſipandum & a chirurgis & medicis, ſed malum omnia exaſperant, tumor qui ante prementi ceſſit digito, jam durus evadit ita, ut nullam ſuſciperet preſſionis foveam, ſed ligni inſtar reſiſteret, fert malum per quatuor menſes ſatis tranquille, ſed cum poſtea motus impedimentum in dies increſceret, me conſulit, præſcribo vaporem cicutæ recentis ope canulæ applicandum ter quotidie per $\frac{1}{4}$ horæ

tali

tali ſucceſſu, ut inter 18 dies ſanus eſſet pes, neque amplius tumor rediit.

Nobilem tergeſtinum, peſſima phthiſi penitus extenuatum, & de cujus ſalute jam omnes medici & amici deſperabant, cum nec diæta lactea, nec remedia contra phthiſin decantata, nec ipſe cortex peruvianus, audaci doſi exhibitus, levamen adferebant, cicuta ſanavi.

Illuſtris matrona, tumore ſub axilla dextra duro intra tres menſes ad ovi anſerini magnitudinem increſcente affecta, ob varia applicata promiſcue incipit ſentire dolorem lancinantem præſertim in motu brachii, & rubere hinc inde obſervatur tumor. Vapore cicutæ ter de die applicato, imperata ſimul quiete brachii & appoſito de cicuta emplaſtro diſſipatus tumor fuit totus intra quinque ſeptimanas.

Fœmina habet mammam cancrosam, durissimam, caput humanum æquans, dolore rodente, urente stipatam, coloris varii, quinque in locis exulceratam, & in sinus & fistulas divisam, tumidis, retorridis, duris, lividis labiis sordido colore imbutis, acrem ichorem stillantibus, vasis sanguineis ad radicem mammæ valde magnis & dilatatis; hanc unanimi consilio chirurgi tergestini amputandam esse concluserunt, verum curata est ope succi cicutæ, & externe applicata recenti contusa cicuta de die bis terve, noctu vero apponebatur extractum de cicuta cum unguento de cerussa. Intra tres menses cura perficiebatur adeo feliciter, ut fœmina anno sequenti gravida facta, & felici dein partu peracto lactare hac mamma prolem suam potuerit, licet mamma variis cicatricibus de-

deformis, minorque altera ſana paucius lac funderet, hancque curam totam debet generoſæ dominæ Tribuzzi, quæ erga pauperes hujus urbis plurima opera charitatis exercet, & quæ compaſſione ſingulari mota erga hanc fœminam, mihi illius curam commendavit, & generoſe laborem remunerata eſt.

Fœmina jam a multis annis fluore albo, acri, & pudendorum labia erodente laboravit. Os uteri a minimo adtactu vehementer doluit, & obſervabatur tumor magnus, durus, qui totum ſpatium inter oſſa pubis, & uteri collum replevit.

Excepto per genitalia vapore cicutæ, ope canulæ in vaginam immiſſæ ter de die per $\frac{1}{4}$ horæ, & cicutæ ſucco vel extracto per quatuor menſes aſſumpto hæc

fœmina integre curata ab hoc malo eſt, & diſparuit tumor.

Infans 7 menſium ulcere carcinomatoſo, ſordidis & calloſis, liveſcentibus, tumidis labiis cum effluxu humoris tenuis, virideſcentis, pauci tamen, in regione laterali dextra ſpinæ dorſi, quæ eſt intra ultimam vertebram dorſi & primas lumborum, afficitur jam a primis ſuæ nativitatis diebus; carcinoma hoc latitudine trium pollicum eſt & fere totidem longum, depaſcens continuo ſerpendo etſi lente partes vicinas tunicamque celluloſam, muſculos ibidem ſitos tegentem, ut fibræ tendinoſæque inſectiones videantur nudæ, dolorque acutiſſimus attactu videtur eſſe ex ſummo, quem infans edit, clamore, emaciatus jam ita, ut ſceleton potius referat ſqualllida tectum cute.

Na-

Natum fuiſſe infantem ait mater cum tumore quaſi ſpongioſo, anguſto, elevato, & rubro valde colore, ut figura ſua & colore criſtam galli referret, clamaretque infans, ſi rudius tangeretur; poſtea obſervabatur, liveſcere ſummitatem & ichorem rubeſcentis coloris exſtillare, & ſenſim fieri ulcus malignum. Multa a chirurgis, multa a me tentata fruſtra fuerunt, ſola aqua calcis videbatur humoris effluentis qualitatem mutaſſe, ut potius purulentus, tener, albicans, quam ichoroſus eſſet; cicutæ extracto per 14 dies applicato cum aqua calcis, pauca quantitate miſta, ulcus ita parvum factum eſt, ut vix pollicem æquaret, & ſic intra 5 circiter ſeptimanas infans integre ſanatus fuit.

Egregius *Kollman*, phyſicus in noſocomio hyſpanico militari:

Puer, octo annorum, semper sanus, nisi, quod ab aliquo tempore ventrem tumidulum gessisset, decima Decembris 1764 dolore lateris punctorio cum tussi sicca nauseaque correptus est; ad dolorem mitigandum, fila ex lino ducta oleo calido intincta, applicata sunt, quo facto dolor intra bidui spatium cessavit; ob nauseas, vomituritionesque balneator vomitorium dedit, nihil autem inde melius habuit, sed accedente epigastrii dolore nausea perrexit ita, ut assumpta juscula sæpius evomeret, permanente simul tussicula sicca, atque deinde ita debilitatus est, ut vix pedibus insistere potuerit.

Tandem mater 25 Decembris puerum ad me portavit.

Quem cum examinarem, inveni pulsum debilem, celerem, respirationem diffi-

difficilem, anhelofam, ventrem tumidum, totum epigaftrium afferis inftar durum; pedes ad genua ufque œdematofi, vel maxime circa malleolos digitorum impreffa veftigia fervabant; fcrotum tumore lymphatico diftentum erat.

Infauftam matri prognofim dedi; interne tamen aliquid tentandum effe putavi.

Obftructiones in vifceribus abdominalibus adeffe venter tumidus, epigaftrium duriffimum, non cedens preffioni, naufea, & vomitus manifefte declarabant; fluctuationis præterea gravis, quafi gelatinofa materia in cavitate abdominis contineretur, perceptio percuffo una manu abdomine, altera ad latus oppofitum applicata, afcitis non obfcura dedit figna: neque levis fufpicio collectæ in cavo tho-

racis lymphæ oriebatur; tuſſicula enim ſicca, cum decubitu fere impoſſibili eam innuere videbantur.

Obſtructiones ſolvendæ, lympha in cavitatibus, & membrana celluloſa collecta evacuanda erat. Præſcripſi ergo:

℞. Extract. cicut. gr. xx
Terræ foliat. tart. dr. i β
aq. fœnicul. unc. iv
oxymellis colchici unc. i
M.

S. ut omni bihorio ſumeret cochleare.

Emplaſtrum diabotan: epigaſtrio applicari curavi.

Poſt biduum rediit mater nihil in melius mutatum puerum, ſcrotique tumorem auctum eſſe ajens.

Præſcripſi eandem mixturam addendo adhuc unc. oxymellis colchici. Ad ſcrotum

tum aquam calcis, cum ſpiritu vini camphorato applicui.

Vigeſima nona mater ajebat tumorem epigaſtrii molliorem, vomituritiones ceſſaſſe, urinam majori copia excerni, alvum liberiorem eſſe, ægrum jura carnium aſſumere, per intervalla dormire, ſcroti tumorem imminui, tuſſiculam ſiccam adeſſe, ſed non adeo frequentem.

Poſt biduum omnia in melius mutata eſſe dixit mater, eadem igitur medicamenta continuata ſunt. Sic de die in diem melius habuit æger.

Dein læta me acceſſit mater, dicens: puerum ſuum admodum bene ſe habere, cibos leviores cum appetitu aſſumere, tuſſim vix ullam adeſſe, ſcroti & pedum

tumorem evanuiſſe penitus, ſomnum eſſe bonum.

Decima Januarii rogavit me, ut mixturam adhuc ſemel præſcribam, ut ſi forte adhuc aliquid lateret in corpore, per urinam evacuaretur, promiſit ſe cum puero, qui exire jam poſſet poſt biduum ad me venturam, quod & fecit, meque de integra complicati morbi curatione convicit, alacer puer fuit, & integre ſanus.

Miles hydropicus in noſocomium allatus variis ante meum adventum a duodecima Septembris ad vigeſimum ſecundum Octobris medicamentis & purgantibus & diureticis uſus eſt, idque non abſque levamine, renaſcente tamen ſemper hydrope, & anaſarca, & aſcite.

Di-

Dicebat æger hydropem ſubito natum fuiſſe, neque febrem intermittentem, neque acutam, neque alium quemcunque præceſſiſſe morbum: potibus ſpirituoſis autem ſe deditum fuiſſe faſſus eſt.

Dum ego ægri curam ſuſcepi, pedes & femora, totusque venter immaniter tumuit, ſcrotum adulti hominis caput magnitudine æquavit, penis quoque inflatus varieque intortus fuit, in abdomine præter manifeſtam fluctuationem hinc inde durities deprehendebatur.

Dedi oxymel colchicum, & quia viſcera abdominalia ſimul infarcta erant, ſequentem præſcripſi mixturam:

℞. aquæ. Fœnicul. unc. vi.
terræ foliat. tart. dr. j.
oxymell. colch. unc. ij.
M.

S.

S. omni bihorio ſumat cochlearia duo, ſcroto tumido ſal decrepitatum applicatum eſt.

Cum autem poſt aliquot dierum ſpatium nihil fere levaretur æger, quamvis urinæ copia aſſumtum potum multum ſuperaret, alvusque libera eſſet, ſed reſpirationis difficultati tuſſis ſicca jungeretur, ſuaſi, ut paracenteſis inſtitueretur, præcipue quia in illo loco, ubi punctio fieri ſolet, nulla durities percipiebatur, ſperans fore, ut, quod ſæpius vidi, & hydrops anaſarca vaſis abdominalibus a preſſione liberatis imminuatur, vel ſaltem inſigne ſymptomatum levamen contingat.

Jamque poſtero die omnia ad operationem neceſſaria parata erant, aſt! examinato prius ægro, tumorem, poſt

in-

ingentem per integram noctem missam urinæ copiam, alvumque aliquoties dejectam, multum imminutum, respirationemque liberiorem redditam, deprehendimus; hinc ab operatione abstinendum, eademque medicamenta continuanda esse, conclusimus.

Atque hoc modo intra mensis spatium non tantum ascitis curatus, sed totum abdomen molle redditum est, scrotique & penis tumor evanuit, pedum tumor diutius persistebat, qui tamen iisdem medicamentis post tres circiter septimanas cessit. Metu recidivæ retinui ægrum, ad vigesimam januarii usque, quo die ad legionem suam adeundi cupidus nosocomio valedixit sanus.

Hydrops anasarca in tribus aliis ægris a diuturna febre intermittente natus

solo

ſolo oxymelle colchico intra breve temporis ſpatium curatus eſt.

Prima Decembris anni 1764 in noſocomium allatus eſt miles, 30 circiter annorum, cui a gonorrhœa, intempeſtive curata, tumor ortus eſt in perinæo durus, immobilis, ſenſim creſcens, dolensque, qui, dum in noſocomium venit, ovum gallinaceum magnitudine ſuperavit.

Dolores non tantum in tumore, ſed & in teſticulis, artubusque conqueſtus eſt æger, noctu auctos; teſticuli naturalem ſervabant magnitudinem, urinam abſque impedimento mittere potuit.

Cicutæ efficaciam in fundendis tumoribus ſcirrhoſis in cancrum abeuntibus toties expertus non dubitavi eandem & in hoc caſu in uſum vocare.

Hinc

Hinc præmiſſo purgante præſcripſi:

℞. Extract. cicut. dr. ij

f. pil. gr. iv

conſpergantur pulvere liquiritiæ, ſumat æger mane & veſperi pil. iij.

Tumori ſacculos ex herba cicutæ aquæ & lacti intinctos applicari juſſi de die, noctu emplaſtrum de cicuta applicatum eſt.

Hoc medicamento effeci, ut tumor intra octiduum minueretur, dolorque multum remitteret, ita, ut æger, jam de artuum doloribus magis conquereretur, quam de dolore tumoris in perinæo.

Cum jam extracto aconiti in curandis doloribus rheumaticis, arthriticisque, etiamſi a lue venerea ortum illi duxerint, omnibus reliquis etiam decantatiſſimis remediis incaſſum adhibitis, ali-

quo-

quoties cum ſucceſſu uſus fuiſſem, præſcripſi:

℞. Extract. cicut. dr. j.
— aconiti gr. iij.
m. f. pil. gr. iv.

S. ut mane & veſpere ſumat tres.

Quo facto non ſolum tumor absque ſuppuratione ſequente ſenſim fuſus eſt, ſed & dolores artuum remiſerunt.

Atque hoc ſolo medicamento intra quinque ſeptimanarum ſpatium, & a tumore & a doloribus arthriticis, curatus eſt æger.

Quinta enim januarii ſaniſſimus e noſocomio exivit.

Dolores rheumaticos abſque febre in quacunque corporis parte fixos extracto aconiti facile brevique tempore curavi.

Men-

Menſe novembri ſex milites ſucceſſive in noſocomium venerunt, quorum quidam intra ſex, quidam intra decem ad ſummum dies omni dolore liberati ſunt; quamvis bini horum partis, quam dolor occupavit, motu præ dolorum acerbitate caruerint.

Dabatur illis præmiſſo, ſi opus fuit, purgante mane & veſperi ſimilis pulvis:

℞. Extract. aconiti gr. i
ſacchari albi dr. ß
m. f. pulv. tenuiſſimus.

Ut autem de aconiti effectu certior eſſem, neque decoctum, neque infuſum ipſis præſcriptum fuit: poterant ad lubitum vel aquam fontanam, vel decoctum hordei cum liquiritia (qui potus noſtris militibus communis eſt) bibere.

Dolores arthritici, ſi non nimis inveterati fuerunt, eidem medicamento facile ceſſerunt; in inveterato autem malo diu continuandum fuit.

Arthritides venereæ, quæ mercurio ſublimato, in ſpiritu frumenti ſoluto, curari non poterant, ſolo hoc pulvere, ex aconiti extracto & ſaccharo quandoque brevi curabantur, quandoque autem addito, præſcripto pulveri, grano uno mercurii dulcis, res melius ſucceſſit.

Illis, qui nec mercurio ſublimato, neque cicuta, quæ certe & in arthritide multum valet, neque extracto aconiti vel ſolo, vel mercurio dulci juncto ſanari poterant, dabantur pilulæ ſequentes.

℞. Extract. cicut. dr. j.
extract. aconit. gr. iij.

m.

m. exacte & f. pil. gr. iv, conspergantur pulvere liquiritiæ.

S. mane & vesperi sumat tres.

Quid his pilulis effectum sit, sequentes bini casus, maxime memorabiles, exemplo erunt.

Miles vigesima prima Julii 1764 in nosocomium allatus est, stranguria laborans; præterea autem doloribus arthriticis noctu auctis torquebatur.

Ex propria confessione, & consideratis omnibus symptomatibus inventus est venereus.

Stranguria brevi temporis spatio curabatur, sed dolores arthritici nulli medicamento cesserunt.

Dum ego ægri curam suscepi, præmisso purgante exhibui pulverem aconi-

ti, ut ſupra dictum eſt, nullum ab his aliquamdiu aſſumtis levamen ſequebatur.

Hinc ad mercurium ſublimatum cum ſpiritu frumenti confugiebam, atque decoctum bardanæ ſimul potandum dedi, ſæviebat nihilominus magis arthritis, & pectore æger etiam laborare cœpit, hinc denuo ad priores pulveres deventum eſt, qui etiamnum nihil effecere.

Interpoſitis tamen purgantibus, & aliis medicamentis uſus iterum horum pulverum imperabatur ad decimam quintam uſque diem decembris, qua pilulas cicutæ cum kermes mineral. & mercurio dulci, quibus quandoque cum ſucceſſu uſus ſum, ad ſimiles morbos curandos, præſcripſi, ſed ſalivatio vix aliquot aſſumtis pilulis orta harum continuationem prohibuit, bis enim jam,

quod

quod tunc primo fatebatur, ſalivationem paſſus eſt æger.

Exhibito autem purgante, datoque decocto emolliente mox cohibita eſt ſalivatio.

Ea propter iterum pulverem aconiti, cui ſimul pulvis ligni ſaſſafras junctus eſt, præſcripſi, ſed parvum & vix notabile inde habuit levamen; tamen medicamento hoc diu continuabatur.

Dein ſola cicuta in uſum vocata eſt, & cum pectoris dolores ſimul conquereretur, infuſum ſtipitum dulcamaræ ſimul præſcriptum fuit.

Aſt re melius examinata in ſterno, & coſtis varias exoſtoſes deprehendimus, quarum una etiam in angulo maxillæ inferioris, in latere ſcilicet dextro, tangi

poterat, cumque dolores ofteocopi per vices redirent majores, præfcripfi:

℞. Extract. cicut. dr. j.

extract. aconit. gr. iij

m. f. pil. gr. iv. confpergantur pulvere liquiritiæ

S. mane & vefperi fumat iij.

Quibus effectum eft, ut non tantum exoftofes folverentur, fed & dolores integre ceffarent ita, ut æger tandem trigefima prima Januarii 1765 valedixerit nofocomio.

Miles in principio menfis May 1764 in nofocomium allatus eft, arthritide venerea laborans, variis aptiffimisque ad hunc morbum curandum medicamentis tractatus nihil levaminis percepit.

Tandem menfe Julio in thermas Baadenfes miffus eft, aft! magis ibi fævie-

bant

bant dolores, ita ut balneo abſtinere occaſionemque exſpectare debuerit, qua commode in noſocomium reportari potuerit, quod & ſeptima ſeptembris factum eſt.

Hic denuo mercurialibus & decoctis variis uſus eſt, ſed incaſſum.

Tandem ego ægri curam vigeſima tertia octobris ſuſcipiens, pulveres aconiti ſimplices tentavi, ſed vix notabile inde levamen percepit, noctu quippe doloribus immaniter ſævientibus, ita, ut totus emaciaretur.

Addidi dein pulveri aconiti mane & veſperi gr. I mercurii dulcis, & decoctum althææ cum lacte potandum dedi.

Sed neque inde magna in melius mutatio facta eſt.

Hinc æger ipſe petiit mercurium ſublimatum, quem & lubens conceſſi; modo magnam decocti cum lacte copiam ſimul biberet; aſt nec inde levabantur dolores.

Tandem ad pilulas cicutæ cum aconito ſupra deſcriptas deveni, inde mox dolores minuebantur, ſemperque æger noctu ſomnum capere potuit, adeoque refocillatus eſt, ut lecto ſurgere, & in cubiculo obambulare potuerit.

Et intra tres ſeptimanas ab aſſumtis pilulis omni dolore caruit.

Retinui ægrum aliquamdiu in noſocomio, ſed cum optime valere pergeret, legionem ſuam reviſendi cupidum quinta Februarii dimiſi ſanum.

Uxor cujuſdam chirurgi præterquam quod menſtrua inordinata, id eſt omni

al-

altera ſeptimana citius ſeriusve habuerit, eaque adeo copioſa, ut quandoque ſanguine defluxerit, paſſionibus hyſtericis admodum obnoxia fuit, varia ad moderandum menſtruum fluxum applicata fuerunt medicamenta; decantatiſſimis antihyſtericis roborantibusque medicamentis paſſionibus hyſtericis obviam ibatur: his autem omnibus levamen quidem malorum in paroxyſmis, curatio vero integra obtineri non poterat.

Quo factum eſt, ut aliquamdiu omnia reſpueret medicamenta.

Sed paſſiones hyſtericæ adeo invaluerunt, ut non tantum ad levem terrorem iramve, ſed & abſque notabili prægreſſa cauſa convelleretur quandoque ſæpius per diem.

Accessit his malis dolor lateris gravativus, per intervalla urens, & respiratio difficilis; tandem accepto de morte matris nuncio repetitis vicibus una die dirissimas passa est convulsiones, atque ab illo tempore inter consabulationes amicorum subito sæpe convulsa est.

Cum jam iterato meum consilium imploraret, præscripsi:

℞. Extract. cicut. dr. ij.
extract. hyosciami gr. xx.
m. f. pil. gr. ij. conspergantur pulvere liquiritiæ.

S. ut ter de die sumat quinque.

His pilulis aliquamdiu assumptis non solum convulsiones non redierunt amplius, sed & dolor lateris cessabat, & respiratio naturalis reddebatur; & menstrua tempore & copia debitis sequebantur; & ut ver-

verbo dicam, adeo mutata eſt fœmina, ut quamvis in iram maxime proclivis, facileque terrenda prius, nihil jam mali ab oppoſitis illis animi affectibus patiatur, & in hunc uſque diem ſana vivit.

Expertiſſimus *Brambilla* ſereniſſimi Archiducis LEOPOLDI chirurgus.

Juvenem, 14 annorum, qui jam a tribus annis difficili auditu laboravit, & nunc per plures menſes perfecte ſurdus fuit, curavi pilulis, quæ ex una parte extracti corticis peruviani, & ex binis partibus extracti cicutæ erant paratæ, ex conſilio noſtri Protomedici Domini *Graffenhuber*.

Tres milites gregarios magnis ſtrumis affectos ſolo cicutæ extracto, & externo ex eadem herba fomento, integre liberavi,

beravi, & aptos iterum ad ſua ſervitia reſtitui.

In binis diſſipabantur ſtrumæ benigna reſolutione, in tertio autem ſuppurando conſumpta fuit ſtruma.

Dominus *Gottſchener*, medicus aulicus.

Extractum aconiti optimo cum effectu adhibui in amauroſi, ita quidem, ut æger viſum iterum recuperaverit.

Joſephus *Müller*, chirurgus atzgerſtorffenſis, ſequentia notat.

Vir, 63 annorum, in crure dextro magnum & fœdiſſimum fiſtuloſum ulcus habuit, quod omnes carnes ad oſſa uſque corroſit.

Poſtquam plurima adhibuiſſem remedia ſine effectu, applicui cataplaſma ex cicuta, & ſaturato infuſo cicutæ feci injectiones in ſinus; mox ſeceſſerunt car-

nes

nes corruptæ, putridæ, & novæ recreverunt, ſinus omnes perfecte clauſi ſunt, & intra trimeſtre ſpatium hic æger fuit optime curatus, & eſt jam in ſecundum annum ſaniſſimus.

Fœmina a pluribus annis in pede dextra habuit ulcus dolentiſſimum, & ad omnia remedia pertinax.

Exhibui illi interne extractum cicutæ, & pedem affectum bis quotidie per horam in cicutæ balneo detinui, & dein texi emplaſtro de cicuta.

Hac ratione inter binos menſes ſanata eſt, & jam in quintum annum bene valet.

Vir hortulanus binos tumores duros, magnos & immobiles habuit ad genu ſiniſtrum jam per tres annos, hos ſolo cicutæ emplaſtro diſſipavi.

Au-

Aurigam curavi ſolo interno & externo cicutæ uſu, qui a quatuor annis tumorem ſcirrhoſum, & ovo anſerino majorem in collo geſſit.

Puer a binis menſibus habuit ventrem prætumidum, & aſſeris inſtar durum, longo tempore ipſi dedi ſalia media, & purgantia ſine effectu.

Dein exhibui cicutæ extractum, & deſuper ut biberet cicutæ infuſum, juſſi. Spatio quatuor ſeptimanarum emolliebatur venter, dedi dein bis purgans ex granis xxx Jalapæ, quo multi vermes rotundi & longi prodierunt, & miſer penitus convaluit, qui jam contabeſcere cœpit.

Ruſticus in latere ſiniſtro thoracis ulcus magnum, ſordidum, ſanioſum habuit, quod neglectum ipſas coſtas carie affecit.

Hunc

Hunc ſolo cicutæ uſu externo intra ſex ſeptimanas ſanavi.

Fœminæ oritur ſubito veſica magna, lata, gangrænoſa in metacarpo manus dextræ, materies intus contenta intra paucum tempus vicinas partes ad oſſa uſque corroſit.

Advocatus aperui veſicam, & effluxit fœtidiſſima ſanies, ulcus dein ſolo cicutæ infuſo deligavi & fovi, malo mox limites ponebantur, & recreverunt novæ carnes, & optima cicatrix formata fuit.

Lanionem, qui fœdum, ſanioſum, & ſerpens ulcus in labio oris inferiore habuit, quoque cicuta curavi.

Infans fœtidum ulcus habuit in capitis parte poſtica, quod ad cranium

uſque

usque penetravit, & creverunt in eo innumeri vermes admodum parvi.

Inspersi pulverem de cicuta, & lavi bis quotidie infuso cicutæ, mox enecabantur insecta, & ulcus clausum est.

Alium infantem eodem malo laborantem eadem methodo curavi.

Juvenis, 12 annorum latam maculam albam in oculo sinistro habuit, imposui in hunc oculum omni mane paucam extracti cicutæ quantitatem, & jussi, ut oculum clausum teneret, quamdiu esset possibile; circa meridiem eundem oculum elui aqua stillititia cicutæ, hoc solo remedio macula disparuit, & juvenis bene videt.

Rusticus tota hyeme magno dolore vexabatur in brachio sinistro, quamvis multa adhiberentur remedia, auctus tamen

men eſt dolor, & brachium factum eſt rigidum.

Hunc balneo cicutæ, cum aqua & lacte parato, curavi.

Infans juſculo ebullienti exuritur ita, ut cutis ex ſcapula, humero, & brachio dextro pluribus in locis ſeceſſerit.

Mater per 14 dies varia adhibet remedia, ſed infans ſemper pejus habet, febricitat, delirat.

Tandem ego advocatus, inveni ingentes cruſtas exſiccatas, ſub quibus acris materies uſque ad oſſa penetravit, hinc inde caro fungoſa excrevit.

Statim venam ſecui, & injeci enema, dedique mixturam refrigerantem, quæ alvum leniter moveret, externe

præter cicutæ infusum, lacte paratum nil adhibui.

His infans perfecte curatus est.

Parisiis mihi sequens morbi historia scribitur:

Nobilissima Matrona (55 annorum) a sex abhinc annis fluxu menstruo privabatur; & ab eo tempore advertit tumorem œdematosum & dolorem obtusum in pede sinistro. Sub initium anni 1764 excrevit inter os quartum & quintum metatarsi ejusdem pedis tumor, magnitudine nucem adæquans, durus, profundus, dolens, ruber, calens, & pulsans, qui abiit in suppurationem & sponte ruptus multum puris fundebat.

Post tres septimanas apertura hujus tumoris forfice dilatabatur, caro erat fun-

fungosa, & ossa metatarsi inveniebantur cariosa, tumor œdematosus se se extendit tres pollices supra malleolum, laterales plantæ pedis partes erant quoque semper tumidæ, oriebantur sinus, & inde fiebat ulcus fœdum.

Hoc in statu exhibebantur Nobilissimæ huic ægræ aquæ minerales per binos menses, & applicabatur ex iisdem bis quotidie embroche, &, ut curatio fieret citius, adhibebantur fortissima remedia externa, quæ cariosum separarent. Ægra inde multum dolorem sensit, & ulcus reddebatur pejus.

Tandem consilio medicorum & chirurgorum eximebantur os cuboideum, & os tertium, quartum, & quintum metatarsi. Post dolentissimam hanc opera-

tionem ægra vires amisit, & penitus extenuata est.

Torositas tamen & vires aliquantulum iterum redierunt ex usu lactis. Manebat autem sinus versus parvum digitum, & ad secundum os metatarsi oriebatur novus tumor, qui lanceola pertundebatur, & effluxit sanguis, & pus, & materies albumini ovi similis, remediis corrosivis & causticis denudabantur ossa, quæ omnia inventa sunt cariosa.

Tentata efficacissima remedia per multos annos vix ullum levamen adferebant. Tandem ad usum cicutæ deventum est, & hæc spatio trium mensium adeo bonos præstitit effectus, ut ulcus totum sit optima cicatrice clausum: nullus amplius adest dolor, dispa-

ruit

ruit cachexia, & eſt totus corporis habitus perfecte idem, qualis erat ſemper in ſtatu ſano, & vires ſunt tantæ, ut ægra fulcris ſuffulta poſſit ambulare.

